Poeti latini

6
13-c
96

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
4 D
22

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

IV
19
A

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS ANTONII
VULPII
LIBER
DE UTILITATE POETICES.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ADDUNTUR IN CALCE
ORATIONES TRES
PRO LITTERIS HUMANIORIBUS
ADVERSUS
EARUM CONTEMTORES,
AB IPSO HABITÆ
IN GYMNASIO PATAVINO.



PATAVII. CIƆIƆCCXLIII.
Excudebat JOSEPHUS COMINUS.
SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTRISSIMIS atque EXCELLENTISSIMIS

V I R I S

JO. ALOYSIO MOCENICO II.

JOANNI QUIRINO,

D. MARCI PROCURATORI,

DANIELI BRAGADENO,

EQUITI, AC D. MARCI PROCURATORI,

ACADEMIÆ PATAVINÆ MODERATORIBUS,

Jo. Antonius Vulpius F.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARTEM *ſtudiorum elegantiſſimam & maxime illuſtrem, quam tamen plerique aut contemnunt, aut contemnere ſe ſimulant, inſcitiæ atque ignaviæ ſuæ fa-*

Digitized by Google

ventes ; Poeticen videlicet ; novo commentario defendendam, & a calumniis imperitorum ſerio vindicandam ſuſcepi, Viri Ampliſſimi. Quamquam enim quæ in optimam diſciplinam jactari ſolent, levia, infirma, vulgaria ſunt, neque accuratam refutationem poſtulant ; nihilominus, quod aſſiduitate convicii noſtris adoleſcentibus moleſtiam exhibeant, eoſque ab incœpto curſu retardare poſſe videantur, propterea tota mente in hanc ſcriptionem incubui ; non ut errare volentes meliora & ſaniora docerem, ſed ne integri & incorrupti eodem errore caperentur. Ad vos autem potiſſimum, eximii Proceres, hunc ingenii mei fœtum qualemcumque deferri oportuit, qui me, politiori Humanitati excolendæ atque in Gymnaſio Patavino publice tradendæ a Collegis veſtris ſapientiſſimis

olim

olim præfectum, ad hoc genus lucubrationum, quibus Vobiſcum magna gratia eſt, & approbando impellitis, & præmiorum ſpe propoſita vehementius incitatis. Enimvero, quum legum latores, & omnes qui rempublicam adminiſtrant, poetarum opera utantur ad civium ſolatium, & neceſſariam ἀνάπαυσιν, *ut eorum animi ab intentione cogitationum relaxentur idemtidem ac remittantur; Vobis iccirco non ingratum fecero, qui nimirum edito libello non ſolum utilitates multas & maximas quæ ex poetis colliguntur enumeraverim, ſed modum etiam viamque monſtraverim artis jucundiſſimæ emendandæ ac perficiendæ, ut ea uberiorem fructum uberioremque in dies ferre poſſit; neque pars ipſa vitæ ad otium & quietem pertinens, virtute atque officio vacua relinquatur. Simul æſtimabi-*

tis, quid a virium mearum imbecillitate in poſterum exſpectari debeat: volui enim, opellam quam Vobis offero, meæ in docendo rationis ſpecimen eſſe, diligentiæ indicium & laboris, obſervantiæ denique teſtimonium, qua Vos ſingulos, & merita in Patriam veſtra, ſane præclara, proſequor atque ſuſpicio. Favete interea, ut ſoliti eſtis, & conatus meos æqui bonique conſulite.

Patavii. Kal. Novembris
A. MDCCXLII.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM.

POETICA, quo clarior diſciplina eſt, quo jucundior, quo principibus & populo acceptior, eo plures & acerbiores adverſarios experitur; quorum alii, tamquam leviſſimam, omnino attingere non curant, eam ſuperbe contemnentes, alii ſcriptis petulantibus impugnant, alii protervitati ſuffragantur, & in tabellæ ſaltem latebra malevolentiam abſcondunt, ſilentio ipſo, quid ſentiant, ſatis aperientes. Rem ſcilicet de compacto gerunt, infeſti arti ex qua pecuniam confici poſſe deſperant: invidentes etiam celebritati poetarum, quum ingenium ſibi deeſſe animadvertant, & ſolari tamen ſe cupiant, quaſi ludicrum aliquid, & quo facile carere poſſint, natura illis denegaverit. Confidenter loquar: Nihil eſt in toto diſciplinarum orbe, in quo ridiculos ſe præbeant viri etiam docti ceteroqui & acuti, æque ac poeticum ſtudium.

Vel

Vel enim genus poetarum univerſum elevant & floccifaciunt, vel antequam cognoverint, præcipites ad judicandum feruntur de illorum facultate, ut de re minimi pretii, & quæ in propatulo poſita callidos æſtimatores non requirat. nihil enim ſolidum ſubeſſe exiſtimant, nihil philoſophi cura dignum; ſed plebeja omnia, trita, quotidiana. Iccirco, Midam imitati, Apollini Pana, Homero Chœrilum, Catullo, Virgilio, Horatio Bavios neſcio quos, Mævios, Suffenos, Cæſios, Aquinios anteponunt, vel pueris decennibus irridentibus, & de tanta judiciorum pravitate ſibi ludos facientibus. Quum igitur librum Ariſtotelis περὶ ποιητικῆς, juſſu Triumvirûm Litterariorum, in Gymnaſio Patavino ſtudioſæ juventuti explicare deberem, neceſſarium mihi viſum eſt, de utilitate diſciplinæ hujus nonnulla præfari; ut & improbæ factioni occurrerem, & auditorum meorum, ſi qui fortaſſe teneriore animo eſſent, atque erroribus obnoxio, induſtriam excitarem, iiſque attentioribus & magis docilibus uti poſſem. Non Poeticæ nimirum conſulere inſtituebam, ſed ejus amatoribus: quum ars nobiliſſima fortiter injuriam ferret, ac ſuis ipſa viribus

pul-

pulchre ſtaret. Exſtiterunt deinceps argumenti hujus plures acroaſes, unde poſtea hunc libellum confeci, ne defenſionis meæ fructus anguſtis nimium ſcholæ finibus contineretur, ſed longe lateque ad hominum aures permanaret. Habebunt propterea in hac mea ſcriptione qui tueri Poeticam volent, non omnia quidem arma parata (fuiſſet enim res immenſi operis) at præcipua & validiora, quibus hoſtium impetus frangere ac debilitare poſſint: habebunt quoddam ἐγχειρίδιον, quo ad ſubitos incurſus tuti ſatis & protecti ſint. Neque eſt cur a nobis, qui nova & noſtra in hoc volumine haud raro protulimus, indicta ſolum & inaudita poſtulent: ſero enim nati ſumus; & majores noſtri, viri ſollertes ac laborioſi, ut qui in poſſeſſionem vacuam veniſſent, optima quæque & firmiſſima olim occupaverunt, ut hoc demum tempore pauca admodum excogitare atque addere inventis liceat. Studioſis adoleſcentibus vetera primum fideliter tradere nos oportet, deinde etiam nova, ſi quæ inveniri meditando potuerint. Verum tritis quoque ac pervulgatis novam lucem afferre conatus ſum; & quæ diſperſa & diſſipata multis in libris la-

te-

Digitized by Google

tebant, in unum locum ſedulo comportavi, & in aſpectum adduxi, ut lecturis promta & expedita forent. Nefas iccirco non duxi, e ſcriptis virorum ingenio ac doctrina excellentium, Platonis, Maximi Tyrii, L. Senecæ, Hieronymi Fracaſtorii, M. Antonii Majoragii, Gerardi Joannis Voſſii, Iſaaci ejus filii, Jani Vincentii Gravinæ, atque aliorum, nonnulla in commentarium hunc meum derivare, quæ ad rem propoſitam facerent: ſemper enim exiſtimavi, ei qui rempublicam ſtudio ſuo juvare inſtituat, de veritate primum & communi utilitate, de gloriola deinde ac rumoribus cogitandum eſſe. Duo ſunt quæ te ſcire cupiam, Lector candide: unum, me huic libello haud temere titulum feciſſe, *De Utilitate Poetices*, **non**, ut quibuſdam placuiſſet, *De Utilitate Poeſeos*. in quo, auctorem, ut ſpero, bonum, ſecutus ſum Ariſtotelem, qui σύνταγμα ſuum de hiſce ſtudiis, περὶ ποιητικῆς, non περὶ ποιήσεως, inſcripſit, quum de poeſi tamen, ac variis ejus formis acturus eſſet: præterea non ſolius poeſeos utilitatem, ſed artis etiam poeticæ, & omnium quæcumque ad hoc genus pertinent, uno vocabulo complecti volui. Alterum;

quæ

Digitized by Google

quæ a me diſputata ſunt de miſericordia, ea veterum philoſophorum, Stoicorum præcipue, decretis conſentanea eſſe, qui miſericordiam, ut infirmi animi vitium eſt, a recto uſu ejus, in quo virtutem collocabant, accurate diſtinxerunt. Ceterum quæ Chriſtiani Theologi de tota hac re ſtatuunt, quum de CHRISTO Domino præſertim loquuntur, cujus & triſtitiam ſponte ſuſceptam, & fletum etiam legimus in Sacris Litteris, ea neque ignoramus, & ſumma, ut par eſt, religione veneramur. Hæc volebam neſcius ne eſſes, amice Lector: fruere, & vale.

NOI

NOI RIFORMATORI
dello Studio di Padova.

Avendo veduto per la fede di reviſione, ed approvazione del P. F. Paolo Antonio Ambrogi, Inquiſitore di Padova, nel Libro intitolato: *Joannis Antonii Vulpii Liber De Utilitate Poetices. adduntur in calce Orationes tres pro Litteris Humanioribus*, non eſſer coſa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, e parimente, per atteſtato del Segretario Noſtro, niente contra Principi, e buoni coſtumi; concediamo Licenza a *Giuſeppe Comino*, Stampatore in Padova, che poſſa eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dato li 24. Luglio 1742.

(Gio. Alviſe Mocenigo II. Rif.
(Giovanni Querini Proc. Rif.
(

Regiſtrato in Libro a carte 44.

Agoſtino Bianchi Segretario.

JO-

JOANNIS ANTONII
VULPII
LIBER

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE UTILITATE POETICES.

Caput Primum.

Quibus ex cauſſis Poetice oriatur. Ea inter homines antiquiſſima. Utrum ſcribendi carminis ratio ſolutæ orationis uſum anteceſſerit, necne. Chriſtiana Theologia a poetico inſtrumento nonnulla mutuatur. Philoſophi vetuſtiſſimi a poeticis figmentis non abhorruerunt. Oratorem illum probatum iri qui ſit poetæ quam ſimillimus. Num verum ſit, quod vulgo fertur, Poetas naſci, Oratores fieri.

Esse facultatem qua præditi homines orationem libere ac ſine lege decur-

rentem definitis intervallis coerceant, & certo ſyllabarum numero metiantur: non uſitato præterea loquendi genere, figuris verborum & ſententiarum audacioribus, deſcriptionum varietate, affectionum & actionum humanarum accurata imitatione, mira denique fabularum inventione ſublimem atque ornatam efficiant: unde in animis audientium ſumma exſiſtat delectatio: cui facultati Poetica nomen ſit; res adeo manifeſta & comperta eſt, ut ſi quis argumentis probandam ſumat, perinde faciat ac ſi lucere ſolem, quod minime dubitandum, maxima ingenii contentione demonſtrare laboret. Quotidiana experientia ſatis docemur, hanc eſſe vim & præſtantiam eorum quos poetas appellamus, ut populum in theatris, vel quoſcumque auditores lectoreſve in ſcholis, in conſeſſu, in joco etiam atque vino, ſuaviſſime demulceant, a ſeveris triſtibuſque cogitationibus ad jucundas lætioreſque traducant, quolibet impellant, undelibet retrahant; ex qua re plauſus & clamores excitantur, gratia & benevolentia colligitur, in opinionem ſapientiæ venitur, nominis immortalitas paratur. Facilius porro eſt invenire duros & ſuperciliosos homines,

nes, & commodorum quibus ipſi carent contemtores, quorum judicio res poetica futilis habeatur & nugatoria, totumque poetarum genus leviſſimum ac minimi pretii; quam ita contumaces atque deliros, ut in animum inducant pernegare, vim eſſe ac facultatem hujuſmodi, qua multi mortales polleant, plurimi delectentur. Quod quum ita ſit, noſtri muneris eſt antequam ad poetam præceptis formandum aggrediamur, duo potiſſimum tractare atque inveſtigare: quibus nimirum ex cauſſis Poetica oriatur, & cur eam profeſſi tantam ſint apud omnes fere gentes auctoritatem dignitatemque conſecuti: deinde quid nonnullos permoverit, ut a communi ſenſu plane abhorrentes, arti tam gratioſæ, tam innoxiæ, tam de hominibus benemerenti convicium facere, ac nulla accepta injuria graves inimicitias denuntiare voluerint. His enim duobus inquirendis & pertractandis illud elucebit, aut ego fallor, poetas (quibus tamen hoc nomen tribui recte poſſit) non temere in civitatibus magno æſtimari, carminumque fingendorum diſciplinam tum honeſtam eſſe, tum variis neque exigui ſane momenti utilitatibus refertam, unde in rem privatam &

publicam ea bona deriventur quæ nemo ſanus parvi ducat. Primum itaque oſtendam, Poeticen rem eſſe inter mortales antiquiſſimam; quod certe præſtantiæ ac dignitatis ejus non leve argumentum futurum eſt: antiquiſſima enim, & apud omnes nationes fere uſurpata, ſic hominum propria eſſe videntur, ut ipſis detractis humana natura manca quodammodo atque imperfecta relinquatur.

Quum igitur diſciplinarum pæne omnium rudimenta Græci a barbaris acceperint, præſertim a Phœnicibus, Chaldæis, Ægyptiis, nihil mirum ſi Poeticen quoque, teſte Tatiano Syro in Oratione adverſus Gentes, inde hauſerint, unde cetera vitæ vel commoda vel ornamenta in eos derivata fuerant. Quis autem eruditorum ignorat, Homerum atque Heſiodum Græcos poetas auctoribus profanis omnibus vetuſtiores haberi, utpote qui ætatem hanc noſtram duûm millium ac ſeptingentorum ferme annorum ſpatio anteceſſerint? Non eſt tamen exiſtimandum, eos ad tantam ſcribendi carminis excellentiam pervenire potuiſſe niſi priores alios habuiſſent in quos intuerentur, & cum quibus de palma certamen inſtituerent. Nihil

hil eſt enim ſimul inventum atque perfectum. Sed eorum poetarum qui Homeri atque Heſiodi tempora præceſſere germani fœtus partim monumentis litterarum traditi non fuere, partim deleti ſunt vetuſtate: ne dicam, fortaſſe nonnullorum & nomina ipſa omnino intercidiſſe. Memorantur hodie ex antiquiſſimis illis Græciæ temporibus poetæ Orpheus Thrax, Chiron Theſſalus, Amphion Thebanus, Automedes Mycenæus, Olympi duo Myſus & Phryx, Melampus, Pamphus, Linus, Muſæus, Phemonoë Sibylla, cui hexametri verſus inventionem tribuunt; ut alios plures prætermittam. Circumferuntur quidem hoc tempore poemata nonnulla quæ Orpheum & Muſæum auctores mentiantur, ſed conficta, ut videtur, ab otioſis hominibus, & falſâ inſcriptione decorata, ad majorem iis auctoritatem conciliandam: vel perperam vetuſtiſſimis illis tributa, quum ſine auctoris nomine vagarentur: vel denique ſcriptorum illis ὁμωνύμων, ſed longe recentiorum. Quod ſi apud Græcos tanta eſt poetarum antiquitas, eam apud barbaros, unde Græci Poeticen acceperunt, multo vetuſtiorem neceſſe eſt ut fateamur. Profecto in divinis

Moſis commentariis, qui ante omnia omnium profanorum volumina quæ quidem ad nos pervenerunt, conſcripti ſunt, cantica leguntur elegantiſſima & maxime ſublimia, quum ipſius Moſis, tum virorum ac mulierum Moſis æqualium.

Sunt autem viri doctiſſimi qui contendant, Poeticen, ſive ſcribendi carminis rationem, ſolutæ orationis uſui anteceſſiſſe. Id præ ceteris tradit Strabo lib. 1. Geographiæ in diſputatione adverſus Eratoſthenen; cum quo faciunt Maximus Tyrius, philoſophus Platonicus, in Oratione de laudibus Poetices, & Lilius Gregorius Gyraldus Ferrarienſis Dialogo I. de Hiſtoria Poetarum. Suffragatur etiam Lactantius Divinarum Inſtitutionum lib. 7. cap. 22. his verbis: *Figmenta hæc eſſe poetarum quidam putant, ignorantes unde illa poetæ acceperint; ac negant hæc fieri poſſe: nec mirum eſt ita illis videri. Aliter enim quam res habet, traditur a poetis, qui licet ſint multo antiquiores quam hiſtorici & oratores & cetera genera ſcriptorum; tamen quia myſterium divini ſacramenti neſciebant, & ad eos mentio reſurrectionis futuræ obſcurorum ore pervenerat; eam vero temere ac leviter auditam in modum*

com-

commenticiæ fabulæ prodiderunt. Hæc ſententia primo aſpectu παράδοξος, ne dicam inepta, videri poteſt: quemadmodum tamen intelligenda ſit, poſtea explicabo. Certe Cadmus Mileſius, & Acuſilaus Argivus, qui primi ſolutam orationem excogitaſſe dicuntur, iis temporibus floruerunt quæ Xerxis in Græciam deſcenſus haud ita multo poſt conſecutus eſt, ſi Flavio Joſepho atque Euſebio fidem habemus. Iſidorus porro Hiſpalenſis in Originibus teſtatur, primum apud Græcos Pherecydem Syrum ſoluta oratione inclaruiſſe: Romanorum vero primum Appium Cæcum Orationem adverſus Pyrrhum in vulgus edidiſſe, cujus generis aliquid ſimile nemo ante ipſum protuliſſet. Apud Romanos tamen (ne quid veri diſſimulem) Poeticen ſero admodum excoli cœpiſſe, nimirum Livii Andronici temporibus, qui primus fabulam docuit anno U. C. IƆXIV. ſatis conſtat. Nemo propterea mirabitur, a Lactantio traditum libro 5. etiam in barbaris regionibus poetarum nomen prius auditum quam philoſophorum: immo poetas ipſos loco ſapientium fuiſſe. Ex hac perſuaſione ortæ ſunt veteres illæ fabulæ de Orpheo & Amphione, qui carmi-

num dulcedine feras & ſaxa traxiſſe perhibentur: erant ſcilicet Orpheus & Amphion viri ſapientes, iidemque poetica facultate præſtantes, qui divinis carminibus rudes & agreſtes homines ab immani & fera vita ad ſocietatem ineundam civilemque cultum traduxere; ita ut civitatibus conſtitutis leges moreſque vigere inciperent, quæ humiles & abjectos a potentiorum ſuperbia & iniquitate defenderent: quo ſane invento nihil melius, nihil utilius generi hominum excogitari potuit. Audiendus Horatius in Epiſtola ad Piſones v. 391.

Silveſtres homines ſacer interpreſque deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres rabidoſque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. fuit hæc ſapientia quondam,
Publica privatis ſecernere, ſacra profanis;
Concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
Oppida moliri; leges incidere ligno.
Sic honor & nomen divinis vatibus atque
Carminibus venit -- -- -- -- -- -- ---

Illud quoque antiquitatis Poetices non infirmum argumentum eſt, quod apud multas gentes & nationes, deorum laudes verſibus

po-

potius quam ſoluta oratione componi & divulgari conſueverint: præterea quæ ad cultum deorum pertinere crederentur, verſibus comprehenſa, & poſteritati quaſi per manus tradita ſint: nemo autem neſcit, in recte inſtitutis hominum cœtibus religionis curam primam fuiſſe & antiquiſſimam. Huc pertinet locus Iſidori lib. 8. Originum cap. 7. *Poetæ*, inquit, *unde ſint dicti*, *ſic ait Tranquillus: Quum primum homines exuta feritate rationem vitæ habere cœpiſſent*, *ſeque ac deos ſuos noſſe*, *cultum modicum ac ſermonem neceſſarium commenti ſibi*, *utriuſque magnificentiam ad religionem deorum ſuorum excogitaverunt*. *Igitur ut templa illis domibus pulchriora*, *& ſimulacra corporibus ampliora faciebant*, *ita eloquio etiam quaſi auguſtiore honorandos putaverunt*, *laudeſque eorum & verbis illuſtrioribus*, *& jucundioribus numeris extulerunt*. *Id genus quia forma quadam efficitur*, *quæ* ποιότης *dicitur*, *poema vocitatum eſt*, *ejuſque fictores*, *poetæ*. Verba ſunt Suetonii Tranquilli, ut videtur, ex quodam ejus libro deperdito, qui exſtabat Iſidori temporibus. Leguntur adhuc Homeri, Heſiodi, & aliorum Hymni, qui rem ita eſſe teſtentur; ſed præcipue Moſis, viri θεοδιδάκτου, ſcriptoribus pro-

profanis omnibus antiquioris, & aliorum item prophetarum apud Hebræos divina carmina, de hac re dubitationem omnem ex animo tollunt. Immo poetici ſermonis decor atque ſublimitas adeo myſteriis diviniſque ceremoniis conveniens eſt, ut D. Dionyſius affirmaverit, Chriſtianam quoque Theologiam a poetico inſtrumento nonnulla mutuari, quæ ad cæleſtes divinaſque mentes deſcribendas neceſſaria videantur. Nam & Sacrarum Litterarum hoc proprium eſſe animadvertit D. Thomas Aquinas Summæ Theologiæ parte prima, articulo nono primæ quæſtionis, ut ea quæ ab omni materiæ concretione libera & ſegregata ſunt, per imagines quaſdam corporeas explicent, ac rudi etiam populo percipienda proponant: quod poetæ profecto facere ſolent. Deus enim omnibus providet pro uniuſcujuſque captu & natura: fert autem natura hominis ut ſenſibus ducibus ad ea quæ ſolâ intelligentiâ attingi & cognoſci poſſunt, paullatim aſcendatur: humana enim pæne omnis cognitio a ſenſibus initium ſumit. Propterea Sacras Litteras decet translationibus uti ac miniſterio imaginum corporearum: nam alioqui ſplendor ille divinitatis, mortalium

ocu-

oculis lucere non poſſet, niſi ei vela quædam & involucra prætenderentur.

Nunc ad illud veniamus, quomodo intelligendum ſit, a veteribus prius carmen uſurpatum quam proſam orationem. Contrarium enim ſimilius veri videtur; quum ſcilicet oratores loquantur, poetæ canant, prior autem naturâ ſit ſermo quam cantus. Tria ſunt profecto quæ ad excolendum ſermonem pertinent: (id animadvertit Gerardus Joannes Voſſius in libro de Natura & Conſtitutione Poetices) ut nimirum ſit emendatus, ornatus, modulatus; ſive, ut Græci loquuntur, ἔμμετρος. Emendatum ſermonem Grammatica efficit, ornatum Rhetorica, ἔμμετρον ſeu modulatum Poetica. Tempore igitur præceſſit ſoluta oratio eam quæ pedibus vincta & definita eſt: quemadmodum incedere antiquius eſt quam equitare aut curru vehi: pugnis vero adverſarium percutere prius inventum fuit quam gladium ſtringere, vel haſtam jaculari. Sed nihilominus loquendi & ſcribendi ratio longe diverſa eſt. Locutos fuiſſe homines antequam canerent, rationi conſentaneum videtur: non tamen ex ea re colligitur, libros prius oratione ſoluta conſcriptos, quam carmine.

Quum

Quum enim omnes loquerentur, pauci vero ea facultate præſtarent, ut orationem modulari, & carmen facere poſſent, iccirco libri qui res memoria dignas complecterentur, eo ſermonis genere ſcribi cœpti ſunt quod minus vulgare eſſet. Immo etiam antequam libri ſcriberentur, veri ſimile admodum eſt, deorum laudes, ſacrorum ceremonias, regum ducumque res geſtas, legum ſanctiones, & quæ moribus utilia crederentur, carminibus incluſa fuiſſe, ut comprehendi facilius & retineri memoria poſſent, & ut diebus feſtis, vel in conviviis canerentur ad citharam. Hanc porro cauſſam fuiſſe crediderim, quare quum a verſu ad proſam orationem, tamquam liberiorem ac longe minus laborioſam, ſcriptores tranſire cœpiſſent; qui philoſophiæ navabant operam, a figmentis poeticis & ænigmatis non abhorruerint: priorem enim illam viam rerum ſublimium tractandarum, a poetis monſtratam, nondum obliti erant. Oſtendebant iccirco philoſophiam, ut caſtam & incorruptam virginem, poeticis quibuſdam veſtibus indutam & ornatam, quod ingenui pudoris eſt: non amictu quaſi detracto inverecundam & fronte perfricta, quæ, ut venalis mu-

muliercula, circumferretur, neque ſolum populi ſatiaret aſpectum, verum etiam cuilibet ſe impure contrectandam præberet. Id autem contigit philoſophiæ quum primum oratorio, ſeu vulgari, non poetico more, ut antea, explicari cœpta eſt. Nam vetuſtiores illi, quibus & Plato annumerandus, nefas eſſe exiſtimabant rerum divinarum minui majeſtatem, iis in apricum lucemque hominum proferendis; eoſque ſolos philoſophicis myſteriis initiabant quos ad ſumma quæque natos & egregia virtutis indole præditos perſpexiſſent. Ad poetas igitur pertinent incunabula philoſophiæ: ipſi eam quodammodo protulerunt, educaverunt, aluerunt, ad ætatis florem ac maturitatem perduxerunt: iidem, ut placere poſſet, ornatu addito, & dote quaſi collata elocandam curaverunt. Multum propterea huic generi debet philoſophia, quæ nimirum apud illos bene pudiceque olim ſervata fuit. Neque philoſophos indignari continuo velim, ſi quando illis per ſannas poetarum, comicorum præſertim ac ſatyricorum, impune vitioſis aut ineptis eſſe non licet. Quum enim poetæ id ſibi ſumunt, jure ſibi ſumere videntur, pro veteri ſua rei tam augu-

ſtæ

ſtæ poſſeſſione. Ceterum quo tempore, verſibus poſthabitis, ad ſolutam orationem diſerti homines primum confugerunt, qui cauſſas in foro actitabant, ut remis veloque poeticam dicendi rationem vitarent, ad incompoſitum & pæne ruſticum ſermonis genus declinaverant. Sed paullatim errore animadverſo, viderunt, oratorem illum magis probatum iri qui eſſet poetæ quam ſimillimus: propterea dictionem ſuam non ſolum poeticis luminibus, quaſi gemmulis, diſtinguere atque illuſtrare, verum etiam numeris pedibuſque, minus tamen ſeveris, coercere & colligare inſtituerunt: quo in genere inſignes perhibentur Iſocrates Athenienſis, Thraſymachus Chalcedonius, Gorgias Leontinus.

Deinceps illud conſiderandum eſt, utrum verum ſit, necne, quod vulgo fertur, poetas naſci, oratores fieri. Nam ſi dictum hoc ſermone hominum tritum a veritate non abhorreat, non leve argumentum ex eo duci poterit antiquitatis Poetices: quarum enim rerum ſemina humanis animis innata quædam vis inſeruit, eæ res antiquiſſimæ ſunt. Poetam certe natura ipſa valere, mentis viribus excitari, & quaſi divino ſpiritu affla-

ri;

ri; poetam bonum neminem ſine inflammatione animorum exſiſtere poſſe; grave plerumque carmen cæleſti aliquo mentis inſtinctu fundi ſolere; pronuntiavit M. Tullius non ſemel; affirmavitque, ſic ſe a ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepiſſe. Idem Platoni viſum eſt, qui ſcilicet in eo Dialogo quem Ionem inſcripſit, poetas cum Corybantibus Magnæ Deæ ſacerdotibus comparare non veretur: quicquid vero elegans, decorum, ſublime, admirabile ſcribendo carmine præſtent, id non arti cuipiam, quæ nulla ſit, verum divinæ ſorti ac virtuti prorſus eſſe tribuendum. Quibus & Pindarus calculum addit, qui Olympiorum Ode 2. quum de facultate ſua magnifice admodum ſentiat, Bacchylidem & Simonidem æmulos poetas ideo contemnit, quod illi a magiſtris artem ſcribendorum verſuum accepiſſent, ipſe vero inſtinctu naturæ poeta exſtiterit: eos propterea per ludibrium corvos appellat, ſe autem aquilæ nomine dignatur; quum videlicet eam opinionem imbibiſſet, ut exiſtimaret, ſapientiam non a præceptoribus in ſcholis tradi, verum in cujuſque indole ac natura poſitam eſſe. Jampridem animadvertit Iſaacus Caſaubonus in

Com-

Commentario ad illud Perſii Satyra 1. verſu 50. -- -- *Non hic eſt Ilias Attî Ebria veratro* -- -- Attium a Perſio notatum, ἀφυῆ & ineptum fuiſſe poetam, cui non copia ingenii, ſed labor improbus ac gloriolæ pruritus, & ſi quæ alia ſunt infelicium ingeniorum irritamenta, Iliadem ſuam, qualecumque poema, vix vi expreſſerit. Propterea opus illi fuiſſe multum hellebori ſeu veratri deglutire, ad caput purgandum, & excitandam mentis tarditatem: quod fecerat Carneades cum Zenone Stoico diſputaturus, & alii plerique ſtudiorum gratia, ut acrius providerent quæ commentabantur; teſte Plinio Hiſt. Nat. lib. 25. cap. 5. Addit memoratus Caſaubonus, a Pindaro Ode 3. Nemeonicarum, vocari ψεφινοὺς ἄνδρας, & minus perfectos nec germanos poetas, qui arte niterentur. Scriptis porro & factis hominum hoc ineſſe, ut coacta & nimium elaborata, venuſtate omnino careant: cujuſmodi fuerunt Antimachi poeſis, Dionyſii tabulæ, Pelopidæ facta; de quibus Plutarchus in Timoleone: ἰσχὺν ἔχοντα καὶ τόνον, inquit, ἐκβεβιασμένοις καὶ κατατεπόνοις ἔοικε: *conatum & contentionem virium præferentia, coactis & miſero labore expreſſis ſimilia ſunt*. Hæc tamen

omnia

omnia non aliorſum pertinent, quam ut fateri neceſſe ſit, neminem in poetam bonum atque egregium evadere olim poſſe quin excellens ingenium, vimque animi non vulgarem in ortu ipſo a natura acceperit: ceterum inde non colligitur, artem ſupervacaneam poetis eſſe atque inutilem. Si enim ars ad præſtantem naturam adjungatur, poemata pulchriora & abſolutiora efficiet, quam ſi a ſolo fonte naturæ ea prodiiſſent. Quod vel exemplis poetarum facile oſtendi poteſt. Callimachum arti magis quam ingenio poeticam facultatem debuiſſe, affirmat Ovidius in Amoribus (libro 1. Elegia 15.)

Battiades ſemper toto cantabitur orbe;
Quamvis ingenio non valet, arte valet.

His autem verſibus, non id propoſitum Naſoni eſt, auferre Callimacho laudem omnem ingenii; nam ingenio prorſus ablato nullus arti locus relinquitur: ſed tantum ſignificare voluit, primas partes in eo poeta artis eſſe, ingenii ſecundas: ut ſi Callimachus arte deſtitutus fuiſſet, in mediocri laude conſtitiſſet, nec præclarum eximii poetæ nomen apud homines umquam conſequi potuiſſet. Contra, de Ennio Romano poeta cecinit idem Ovidius eadem Elegia:

Ennius arte carens, animoſique Accius oris,
Caſurum nullo tempore nomen habent.

& libro 2. Triſtium v. 424.

Ennius ingenio maximus, arte rudis.

Adde igitur artem Ennio, tolle rus illud antiquitatis, numerorum aſperitatem, verba horrida, & reliqua incommoda, veteribus cognita, nobis ignota, qui ex Annalibus Ennii, & aliis ejus poematis fragmenta ſolum paucula habemus; jam neminem Ennio præpones. Euripidem, virum ſapientiſſimum, utpote ab Anaxagora phyſico inſtitutum, eumdemque excellenti ingenio poetam, peccaſſe tamen ſæpius in Tragœdia ſcribenda, animadvertit Ariſtoteles; quod is artis præcepta neglexiſſet. Multum igitur naturæ debent poetæ (non inficiamur); ſed nec parum arti, ſaltem qui optimi & eſſe & haberi volunt. Natura enim ſine arte rudis & imperfecta eſt: ars per ſe, nulla ſubjecta naturæ indole, nihil poteſt. Ambæ vero conjunctæ pulcherrimorum poematum cauſſæ atque origines merito æſtimandæ. Quæ omnia breviter expreſſit Horatius in Epiſtola ad Piſones v. 408.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæſitum eſt. ego nec ſtudium ſine divite vena,

Nec

Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Si aliquid ergo ſine arte atque apparatu fieri aliquo modo poteſt, illud profecto magis effici poterit ſi adhibeatur cura & ars; quod ſapienter docet Ariſtoteles libro 2. Rhetoricorum, allato diſticho Agathonis poetæ in hanc ſententiam. Oſtendimus adhuc, eſſe poeticam facultatem ab antiquiſſimis uſque temporibus: proximum eſt ut doceamus, hanc ſcribendi carminis diſciplinam neque futilem eſſe rem, neque contemnendam, ut nonnulli falſo arbitrantur.

Digitized by Google

CAPUT II.

Duas præcipuas eſſe cauſſas propter quas Poetice res futilis quibuſdam videatur: quod ad opes parandas conducat minus, & quod plurimi nomen poetæ ſibi falſo arrogent, neque natura ſatis idonei, & doctrina parum exculti. Mores poetici laudati. P. Virgilium, & Antonium Panormitam Poeſis locupletavit. Hujus artis pretium non imminui, ſed augeri potius ab eorum frequentia qui carmina ſcribunt. Id exemplis aliarum facultatum oſtenditur.

CUR facultas poetarum non ſolum pluribus e vulgo, verum etiam doctis interdum hominibus res leviſſima & minimi pretii videatur, multæ ſunt cauſſæ; quas perſequi ſigillatim longum & moleſtum eſſet. Duas tamen præcipuas non prætermittam, quæ imperitis fucum facere ſolent. Prima cauſſa eſt; quod ſtudia poetarum ad lucrum, & ad opes parandas minus conducunt: & de illis Græcorum proverbium uſurpari poteſt, οὐδὲν πρὸς ἄλφιτα. Quum igitur omnes, aut pæne omnes, in re augenda

da & amplificanda occupati ſint, & ſolos divites beatos, ſolos ſapientes & honore dignos judicent; de pauperibus contra peſſime ſentiant, eoſque vel ignavos, vel decoctores, vel diis inimicos exiſtiment, eorum occurſum horreant ac reformident; mirum propterea non eſt, ſi poetas & Poeticen averſentur, quibus videlicet divitiæ propoſitæ non ſint, ſed levis tantum gloriæ umbra, & ſterilis quædam voluptas. *Vatis enim avarus*

Non temere eſt animus: verſus amat, hoc
ſtudet unum:
Detrimenta, fugas ſervorum, incendia ridet:
Non fraudem ſocio, puerove incogitat ullam
Pupillo: vivit ſiliquis, & pane ſecundo.

quod olim Horatius libenter faſſus eſt Epiſtola 1. lib. 2. Hæc potiſſima cauſſa fuit, eodem Horatio teſte in Epiſtola ad Piſones, quamobrem Græci Romanis hujus facultatis laude longe antecellerent: Græci nimirum gloriæ ſplendore magis ducebantur, nominis immortalitatem cupidius appetebant: Romanis patrimonium exaggerare pulchrum & præclarum videbatur; in eo votorum ſummam ponebant. Audiendus memoratus poeta:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Muſa loqui, præter laudem nullius avaris.
Romani pueri longis rationibus aſſem
Diſcunt in partes centum diducere. Dicat
Filius Albini, ſi de quincunce remota eſt
Uncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe, Triens. Eu!
Rem poteris ſervare tuam. redit uncia: quid ſit?
Semis. an, hæc animos ærugo & cura peculî
Quum ſemel imbuerit, ſperamus carmina fingi
Poſſe linenda cedro, & levi ſervanda cupreſſo?

Iccirco nonnulli poetas paraſitis & ſcurris annumerant, generi hominum otioſo, & reipublicæ prorſus inutili. Quæ ſententia militum præſertim eſt, ac forenſium rabularum. Teſtis locuples Ovidius Amorum lib. 1. Elegia poſtrema, cujus hæc verba ſunt:

Quid mihi, livor edax, ignavos objicis annos,
Ingeniique vocas carmen inertis opus?
Non me more patrum, dum ſtrenua ſuſtinet ætas,
Præmia militiæ pulverulenta ſequi:
Nec me verboſas leges ediſcere: nec me
Ingrato vocem proſtituiſſe foro.

Videmus, patres lucri dulcedine illectos, & ſui negotii bene gerentes, filiis quos animadverterint Muſarum conſuetudine delectari,

ri, vehementer ſuccenſere, quaſi νοθ͵ευομένοις, & a majorum virtute degenerantibus. Quod ſibi contigiſſe narrat idem Ovidius Triſtium lib. 4. Elegia ultima his verſibus:

Frater ad eloquium viridi tendebat ab ævo,
Fortia verboſi natus ad arma fori:
At mihi jam puero cæleſtia ſacra placebant;
Inque ſuum furtim Muſa trahebat opus.
Sæpe pater dixit, Studium quid inutile tentas?
Mæonides nullas ipſe reliquit opes.

Hoc porro quum faciunt, ſe parentis officio fungi, liberorum commodis & rationibus conſulere ac proſpicere dictitant: ſed hujuſmodi ſedulitas prava & præpoſtera eſt, ſi verum fateri volumus, turpemque avaritiam opumque admirationem, ſummam præterea ſolidorum bonorum ignorationem & contemtum in ipſis arguit. Certe enim quæſtui non inhiare, mediocri patrimonio contentum eſſe, locupletem barbariem aſpernari, quæ vulgus magno æſtimet ea parvi ducere, litteras & honeſtatem pecuniæ præponere, excelſi animi recteque a natura conformati proprietates & indicia ſunt. Utinam vero multos his moribus præditos in civitate videremus: minus profecto ſcelerum, flagitiorum, turbarum eſſet: nam, *Ubi divi-*

tiæ claræ habentur, (teſte Salluſtio, ſeu quiſquis eſt auctor, in Oratione altera de Republica ordinanda ad C. Cæſarem) *ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. ad virtutem enim una & ardua via eſt: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur; & malis & bonis rebus ea creatur*. Hinc illa quæ vulgo jactari ſolent: *Lucri bonus eſt odor ex re Qualibet -- -- Unde habeas quærit nemo, ſed oportet habere*. Poetici mores hujuſmodi, ab avaritia, bellua tam fera, immani, intoleranda, longe remoti, privatis domibus caritatem, rebuſpublicis concordiam & ſalutem afferre poſſent: tantum abeſt ut poetæ ideo contemni debeant, quod apud ipſos non ea ſit pecuniæ auctoritas quæ apud reliquos mortales. Factum illud Anacreontis Teji, Lyrici poetæ elegantiſſimi, Græcorum litteris celebratur, quo ſe virum ſapientem ætati ſuæ ac omni deinceps poſteritati manifeſto probavit. Hic a Polycrate Samiorum tyranno, cui ob excellentiam ingenii carus & acceptus vivebat, quinque auri talentis donatus fuerat. Id munus quum hominem frugi ac parvo contentum valde ſollicitum haberet, poſt duas noctes quas ille inſomnes traduxerat, Polycrati a poeta re-

remiſſum eſt, hoc addito apophthegmate:

Μισῶ δωρεὰν, ἥτις ἀναγκάζει ἀγρυπνεῖν.

Donum odi, quod cogit vigilare.

Velim porro animadvertant poematum amatores in hac narratiuncula & ſapientiam Anacreontis, & liberalitatem Polycratis: colligent enim, falſum eſſe quod ſibi homines illitterati perſuadent, poeticam facultatem ad opes parandas numquam conducere. Optimi ſane poetæ cum viris principibus plerumque familiariter verſantur; qua conſuetudine, ſi velint, facile admodum inopiæ ſubvenire poſſunt. Plena eſt exemplorum antiquitas, plena etiam recentiorum temporum hiſtoria, quibus oſtendatur, ducum regumque curam ſemper fuiſſe poetas: ab iis præterea locupletatos, & ſummo in pretio atque honore habitos. P. Virgilius Maro, teſte veteri ſcriptore in Vita ejus, *poſſedit prope centies ſeſtertiûm, ex liberalitatibus amicorum.* Idem tradit, Octaviam Auguſti ſororem, quum recitationi ſexti libri Æneidos intereſſet, ad illos de filio ſuo, magnæ ſpei adoleſcente, immatura morte prærepto verſus, *Tu Marcellus eris*, & quæ ſequuntur, animo defeciſſe: atque ægre tandem refocillatam, dena ſeſtertia pro ſingu-

lis

lis verſibus laudes Marcelli continentibus Virgilio numerari juſſiſſe. Quid ego nunc Cilnium Mæcenatem commemorem, ſui temporis poetarum amantiſſimum, Horatii Flacci præcipue, quem rure Sabino donavit, & a quo pars animæ ſuæ appellatus eſt? Nota ſunt hæc & pervulgata.

Sed quanto in honore fuerit Antonius Panormita, ſæculo a Chriſti adventu decimoquinto poeta celeberrimus, apud Alfonſum Aragonium Regem Neapolitanum, ingenti animo principem, boniſque litteris haud leviter imbutum, pauci noverunt. Eum ſcilicet Rex in loco præceptoris dilexit & coluit: eum ex aulicorum turba delegit qui ſibi a commentariis, ab epiſtolis, a conſiliis eſſet. Cum eo quotidie a prandio colloquebatur, ejus eruditione fatigatum ſeriis cogitationibus animum reficiens: quodque vehementer quis admiretur, ipſi Virgilium explicanti Meſſanæ ſua manu miniſtravit, potu ſcilicet præbito, aulæque proceres inſervire juſſit. Singularem ſane rem atque invidendam! Longum eſſet enumerare, quot legationes obeundas, quot pingues redditus ab Alfonſo acceperit Panormita: quantis muneribus quum auri argentique, tum

ædium

ædium ampliſſimarum a Rege liberaliſſimo, veræque doctrinæ ac virtutis æſtimatore juſtiſſimo auctus & decoratus fuerit. Pari quoque gratia floruit Antonius in aula Ferdinandi Regis, qui patri Alfonſo ſucceſſerat; donec ætate confectus mortem obiret, beatus ad ultimum vitæ diem. Sed nimirum pauciſſimos Panormitas, magnis honoribus & opibus dignos, qui regibus æque ac ille uti ſciant: pauciores fortaſſe Alfonſos, quorum ſit animus fortunæ par, invenire poſſis. Hæc tamen exempla ſatis docent, poetarum genus cum egeſtate, ignobilitate, humilitate non ſemper luctari.

Neque ſolum excellentibus in ſcribendo carmine diteſcere contigit, ſed interdum etiam deterioribus, & vix mediocritatem adeptis.

Gratus Alexandro Regi magno fuit ille
Chærilus, incultis qui verſibus & male natis
Rettulit acceptos regale nomiſma Philippos;

teſte Horatio Epiſtola 1. lib. 2. Quum igitur de pictura & ſculptura ferendum judicium eſſet, Alexander ingenioſum & intelligentem ſe præſtabat: caverat enim edicto, ne quis, præter Apellem, eum pingere, vel, præter Lyſippum egregium ſta-

tua-

tuarium, ex metallo fingere auderet: contra ſi eum ad poetarum libros dijudicandos vocaviſſes, ut Horatii verba uſurpem,

Bœotûm in craſſo jurares aere natum.

Quæ profecto judiciorum inconſtantia his etiam temporibus animadverti poteſt: videas enim ſæpius, optimorum artificum ſtatuis atque picturis ineptiſſima Epigrammata plerumque ſubſcribi. Ut rem igitur in pauca contraham, quod pertinet ad paupertatem poetis objectam; poetæ vel divitias honeſte parare poſſunt, vel ſaltem adverſam fortunam æquo animo ferre: quorum alterum hominis eſt non contemnendi, alterum laudandi quoque.

Jam illud conſideremus, an poeticam facultatem ideo deſpicere oporteat, quod plurimi nomen poetarum ſibi arrogent, & ſcribendo carmini temere manum admoveant, neque natura ſatis ingenioſi, neque doctrina exculti, ſed tantum opinionis errore, vel imperitorum aut deridentium laudibus decepti. Non diffiteor, malorum poetarum turbam eſſe maximam, eorumque carminibus vel lectis, vel auditis moleſtiam potius quam voluptatem creari. QUICQUID enim ad delectandum inventum & compa-

ratum

ratum eſt, niſi valde in ſuo genere excellat, finem arti propoſitum adeo non aſſequitur, ut ab eo quam longiſſime aberret, immo affectionem pariat delectationi contrariam: niſi forte ineptis carminibus riſus ineptior nonnumquam excitetur. Atque hi quidem Chœrili, Suffeni, Cæſii, Aquinii, Bavii, Mævii, Anſeres, jure irridentur & exſibilantur; melius enim aliquanto de republica & hominum ſocietate mereri poſſent, ſi agro fodiendo, geſtandis oneribus, jumentis agitandis operam locarent, quam invitis Muſis & Apolline lævo ſacrum poetæ nomen ſibi ſumendo ac turpiter contaminando. Hi ſunt videlicet qui artem pulcherrimam, & ſtudiorum partem maxime liberalem apud vulgus infamant: horum culpa factum eſt, ut verſuum ſatietas & faſtidium ceperit homines, ac nihil jam ſit poeta vilius, nihil abjectum magis. Quod tamen poetica plurimos nacta ſit amatores, quod optimatibus & plebeculæ ſimul placeat, quod nemo fere communi ſenſu præditus, ejus pulchritudine non capiatur, id egregiæ diſciplinæ pretium & exiſtimationem in animis cordatorum minuere non debet, ſed potius augere: hæc enim omnia

quæ

quæ nobis dignitatem ac ſplendorem ejus oſtendunt, ad vituperationem & contemtum, irrito ac maligno conatu, detorquenda non ſunt. Hæc eſt ſcilicet rerum omnium conditio in quibus non adumbrata ſolum ſed expreſſa boni ſpecies elucet, ut intuentium oculos mirabili quadam voluptate detineant, & ſui deſiderio unumquemque inflamment: nam Boni natura publica eſt, non privata; diffundi & propagari amat, non ſeorſum & ſecreto haberi. Medicina (ut hoc potiſſimum exemplo utamur) facultas eſt nobiliſſima & humano generi utiliſſima, ſiquidem corporis temperationem integram ſervat, eademque ſanitatem, rem tam optabilem & neceſſariam, ægrotis pollicetur: iccirco non ſolum docti, & philoſophia ceteriſque adjumentis probe inſtructi, ſed etiam indocti, puta pharmacopolæ, circulatores, deliræ aniculæ, & quis non præterea? in ea ſe libenter exercent. Muſica, quæ magnum habet cum poeſi commercium, incredibile eſt quanta ſuavitate audientium animos demulceat: non difficile tamen invenias, qui ſe muſicos haberi velint, abſurde canentes atque pſallentes: deinde pauciſſimi ſunt, qui mo-

do

do aerem ducere ac vocem mittere poſſint, quos interdum cantitare non audias. Id præter experientiam Ovidius teſtatur lib. 4. Triſtium Elegia 1. his verſibus:

Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
Indocili numero quum grave mollit opus.
Cantet &, innitens limoſæ pronus arenæ,
Adverſo tardam qui trahit amne ratem:
Quique ferens pariter lentos ad pectora remos,
In numerum pulſâ brachia verſat aquâ.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxove reſedit
Paſtor; arundineo carmine mulcet oves.
Cantantis pariter, pariter data penſa trahentis
Fallitur ancillæ decipiturve labor.

Nihilominus, tot pingui Minerva canentibus, vel potius aures obtundentibus, integer arti jucundiſſimæ ſuus honor conſtat, & porro conſtabit. Poſtremò, Virtute quid melius, quid pulchrius, quid utilius? Atqui eam boni pariter & mali valde æſtimare videntur: boni ſcilicet, ut aſſequantur; mali, ut ementita quadam imagine ſaltem imitentur. Nam & ſceleſtus ille apud Horatium Epiſtola 16. libri 1. Savernam furum deam ita precatur:

—— —— —— —— *Pulchra Laverna,*

Da

Da mihi fallere, da juſto ſanctoque videri.
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.
Quis tamen Virtutem rem futilem ac minimi pretii eſſe affirmaverit, propterea quod maxima pars hominum eam falſo jactet? quum vel ex hoc potiſſimum Virtutis dignitas eluceſcat, quod ipſi etiam mali pulchritudinem ejus atque honeſtatem quodammodo ſentiant, & inſignia extrinſecus ſibi circumdent. Ut igitur plurimi ſunt qui ſe bonos videri velint, pauciſſimi vere boni; eodem pacto ingens eſt mediocrium & ineptorum etiam poetarum multitudo: optimorum vero & hoc nomine dignorum exiguus valde numerus: qui ut raro & non quotannis exſiſtunt, ita majore in pretio habendi ſunt.

CA-

CAPUT III.

Honeſta Voluptas quam pariunt Poetæ; Morum popularium Emendatio, quæ poematis legendis, audiendis, ſpectandis oriri ſolet; Vis & ſublimitas dictionis, ex qua Oratores quoque proficiunt; tria ſunt potiſſimum quæ oſtendunt Poeticæ utilitatem. Voluptatis vocabulum πολύσημον. Poetæ ſeipſos primum delectant, deinde auditores lectoreſque. Pulchram eſſe Poetarum dictionem, & in pulchritudine rerum exprimenda ſemper occupatam. Deſcriptiones poeticas longe admirabiliores & jucundiores eſſe deſcriptionibus Hiſtoricorum. T. Livius cum Virgilio comparatur.

OSTENDIMUS adhuc, nihil officere Poetices dignitati, quod carminum ſtudioſi homines parum compendii faciant, & quod in omnibus viis & angiportis occurrant poetæ: nunc utilitates multas & maximas quæ ex hac diſciplina colliguntur, paullatim aperire atque indicare incipiamus. Tria præcipue mihi videntur eſſe propter quæ Poetæ probari debeant, atque

in civitate retineri; nimirum Voluptas quam efficiunt; Morum popularium Emendatio, quæ poematis legendis, audiendis, ſpectandis oriri ſolet; Vis & ſublimitas dictionis, unde in Oratores quoque, genus hominum civitatibus neceſſarium, electa & magnifica verba, ſapientes & præclaræ ſententiæ, acres & vehementes figuræ, factorum & animorum expreſſæ imagines, ars denique concitandorum affectuum deriventur: quibus rebus oratio non ſolum ornatur & perpolitur, ſed etiam mirum in modum alitur & roboratur. De Voluptate primum dicamus.

Voluptatem ſequuntur & appetunt omnes; nam ſine qualicumque delectatione vita ipſa conſiſtere nullo modo poteſt: eamdem tamen fere omnes calumniantur, ejuſque appetitum caute diſſimulant: in quo quidem naturæ ipſi adverſari & injuriam facere, mihi videntur. Ambiguam enim ſignificationem habet nomen voluptatis. Ex honeſtis enim rebus perinde ac ex turpibus & flagitioſis jucundus ille ſenſus exſiſtit quem voluptatem appellamus. Eſt voluptas quæ virum deceat, præmium atque incitamentum laborum, in animi tranquillitate, ac perturbationis vacui-

cuitate poſita, effectrix beatæ vitæ, ad quam per aſperam & confragoſam virtutis & gloriæ viam pervenitur. Huic voluptati convicium facere inſania eſt: adeo enim cum recte factis conjunctam videmus, ut ab iis disjungi nulla ratione poſſit: quemadmodum enim ſceleribus angorem, ſollicitudinem, Furias ultrices, ita virtuti & honeſtati quietem, ſecuritatem, delectationem comitari neceſſe eſt. Hæc quamquam heroibus & magnis viris potiſſimum conveniat, nihilominus in alios etiam redundat quicumque pulchra & honeſta libenter audiunt: voluptas enim hujuſmodi non ſolum recte factorum merces & corona eſt, ſed etiam ſtimulus quidam & illecebra, cujus ope ad præclara quæque ſuſcipienda homines excitari ſolent. Eſt rurſus voluptas plebeja, quam Prodicus ille Chius apud Xenophontem nobis deſcribit mulierem meretricem, habitu corporis tenero ac ſuccipleno, cutis candore ac rubore medicamentis quæſito, procacibus & vagis oculis, quæ in extremos pedum digitos aſſurgeret, ut procerior videretur, quæ aſpectus juvenum captaret, & umbram quoque ſuam idemtidem contemplaretur. Hæc in cibo & potu, amoribus, li-

bidinibus, otio item, ſomno, ignavia conſiſtit, rerum omnium & cogitationum homine dignarum peſtis ac pernicies: hæc adoleſcentes optima indole corrumpit, viros enervat ac frangit, ſenes, omni auctoritate ſpoliatos, infames & ridiculos efficit. Huic impuræ meretrici, huic peſſimæ veneficæ, quotquot felices eſſe cupimus, bellum indicere debemus, hanc e civitate penitus exterminare. Diverſa omnino eſt voluptas illa quam parant ſcripta poetarum: ne nos ambiguo vocabulo decipi ſinamus, neque ideo poetis honorem denegemus quod ſe voluptatis miniſtros aperte profiteantur. Nam ſi qui ſunt poetæ quibus propoſitum ſit alteram illam voluptatem carminibus excitare, hos e poetarum albo ſtatim deleamus, neque permittamus ut nomine tam ſacro, tam auguſto, tam verendo diutius abutantur.

Duplex autem e poetarum ſcriptis exſiſtit delectatio: nam poetæ fabulis fingendis, & verſibus componendis mirificam ipſi primum voluptatem ſentiunt, deinde auditores lectoreſque ſumma jucunditate afficiunt. *Quam gaudebat*, inquit Cicero in libris Officiorum, *Bello ſuo Punico Nævius, quam Truculento Plautus, quam Pſeudolo!* Difficile

eſt

eſt delectationem hujuſmodi explicare verbis, eamque non expertis patefacere: noverunt illam qui hoc in genere ſtudiorum aſſidue verſantur. Huic profecto ſuavitati reliquæ omnes vulgares concedunt: neque ſane illa detracta, labores, vigiliæ, cogitandi, ſcribendi, imitandi, expoliendi, emendandi moleſtiæ a poetis tolerari poſſent. Quæ ſane voluptas adeo ſcriptionem, præcipue poetarum, conſequitur, ut etiam ineptorum carminum auctores ea perfundantur, ac, tamquam ſolatio, adverſus irridentes utantur. Id Horatius animadvertit Epiſtola 2. libri 2. v. 106.

Ridentur mala qui componunt carmina: verum
Gaudent ſcribentes, & ſe venerantur, & ultro,
Si taceas, laudant; quidquid ſcripſere, beati.

Catullus autem ita de Suffeno malo poeta, Carm. 22.

----- ---- --- -- *Neque idem umquam*
Æque eſt beatus ac poema quum ſcribit;
Tam gaudet in ſe, tamque ſe ipſe miratur.

Auditoribus præterea ſuis ac lectoribus excellentes poetæ delectationem afferunt: pulchra enim eſt dictio poetarum, & in pulchritudine rerum deſcribenda & exprimenda ſemper occupata: porro quidquid pul-

chrum eſt, amorem ſui excitat; amoris autem finis voluptas.

Quum igitur Philoſophi, Oratores, Hiſtorici, & quidquid uſquam ſcriptorum eſt, docere vel perſuadere cupientes, bene atque appoſite dicant, quantum expedire putant & ſatis eſſe ad explicandam rem qua de agitur, nempe ad finem ſuum obtinendum; Poeta ſe his compedibus aſtringi non patitur: ſed quamquam & ipſi propoſitum ſit de re aliqua loqui, aut docere, aut perſuadere, eo tamen diſtat ab omni alio genere ſcriptorum, quod formam dicendi ſibi conſtituens liberiorem, atque univerſe pulchram, omnes dictionis ornatus, veneres omnes & charites accurate perſequitur, quas ei rei tribui poſſe judicaverit. Hoc autem dicendi genere ita commoventur animi auditorum, ut rem a poeta deſcriptam, ipſam vero deſcriptionem multo magis, admirentur; quæ ſane admiratio fons & origo eſt incredibilis voluptatis. Exempla id planum facient. Livius, rerum Romanarum ſcriptor egregius, libro 1. Hiſtoriæ ſuæ narrat quomodo Hercules Cacum latronem interfecerit. Hiſtorici verba ſunt: *Herculem in ea loca Geryone interemto boves mira ſpecie*

cje abegiſſe memorant, ac prope Tiberim fluvium, qua præ ſe armentum agens, nando trajecerat, loco herbido, ut quiete & pabulo læto reficeret boves, ipſum feſſum via procubuiſſe. ibi quum eum cibo vinoque gravatum ſopor oppreſſiſſet, paſtor accola ejus loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus pulchritudine boum, quum avertere eam prædam vellet; quia ſi agendo armentum in ſpeluncam compuliſſet, ipſa veſtigia quærentem dominum eo deductura erant; averſos boves eximium quemque pulchritudine caudis in ſpeluncam traxit. Hercules ad primam auroram ſomno excitus, quum gregem perluſtraſſet oculis, & partem abeſſe numero ſenſiſſet, pergit ad proximam ſpeluncam, ſi forte eo veſtigia ferrent. quæ ubi omnia foras verſa vidit, nec in partem aliam ferre, confuſus atque incertus animi, ex loco infeſto agere porro armentum occepit. Inde quum actæ boves quædam ad deſiderium, ut fit, relictarum mugiſſent, reddita incluſarum ex ſpelunca boum vox Herculem convertit. quem quum vadentem ad ſpeluncam Cacus prohibere conatus eſſet; ictus clava, fidem paſtorum nequicquam invocans, morte occubuit. Hæc Livii narratio, ut videmus, diligens admodum, &, quantum decet hi-

ſtoricum, etiam ornata eſt: ſumit præterea nonnulla a poetis, præſertim a Virgilio, & ab Ovidio, qui eamdem ſive hiſtoriam ſive fabulam recitat lib. 1. Faſtorum. Comparemus nihilominus cum hac Livii narratione locum Virgilii ex Æneidos libro 8. de re prorſus eadem. Intelligetur, aut ego fallor, quam ſint pulchriores, & legentium animos vehementius afficiant poetarum deſcriptiones. Hi ſunt verſus Mantuani poetæ.

---- ---- ---- ---- *Maximus ultor,*
Tergemini nece Geryonis ſpoliiſque ſuperbus,
Alcides aderat: tauroſque hac victor agebat
Ingentes: vallemque boves amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, ne quid inauſum
Aut intentatum ſceleriſve dolive fuiſſet;
Quatuor a ſtabulis præſtanti corpore tauros
Avertit, totidem forma ſuperante juvencas.
Atque hos, ne quâ forent pedibus veſtigia rectis,
Caudâ in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.

Hic parumper ſubſiſtamus, & ſcriptorem utrumque inter ſe comparemus: deinde ulterius progrediemur. Livio ſatis eſt Herculem & Geryonem nominare: Virgilius ad-

addit notas quaſdam inſignes & dei, & tyranni ab eo occiſi; appellat enim Alcidem maximum ultorem, deinde tribuit illi elatum animum ob victoriam, & ob ſpolia hoſti detracta: Geryonem tergeminum vocat, ut Herculis fortitudo magis eniteat, qui nimirum tyrannum tribus corporibus præditum, quod fabulæ memorant, opprimere ac de medio tollere potuerit. Cacus ferox viribus dicitur a Livio: Virgilius non latronem ipſum commemorat, verum ejus mentem furore inſtinctam atque efferatam, quæ latrocinia ad eam diem perpetrata novo & immani ſcelere ac dolo cumulare voluiſſet: peccaverat enim antea Caous in homines, tum vero deum furto aggredi parabat. Illud quoque pulchrum eſt apud Virgilium, *ſaxum opacum* pro ſpelunca, quod locum abditum ac tenebroſum ob oculos magis ponit. Sed progrediamur in Virgiliana deſcriptione:

Interea quum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
Diſceſſu mugire boves; atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui;
Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita feſellit.

No-

Notent ſtudioſi patronymicum *Amphitryoniades* pro Hercule. Id inſervit orationi variandæ, eidemque ipſo numero ſyllabarum & ſono vocalium majeſtatem conciliat. Hæc autem ornamenta minus decent hiſtoricum, qui ad narrationis finem magis properat, & cui non vacat ſecus viam floſculos legere. *Mugiſſe bovem* ait Virgilius *ſub vaſto antro*. quo epitheto cauſſam ipſam aperit magnitudinis ſoni, qui ſcilicet curvis antri parietibus circumquaque repercuſſus, mirum in modum excreverit, ac validior effectus fuerit. Animadvertendæ etiam ſunt querelæ bobus tributæ.

Hic vero Alcidæ Furiis exarſerat atro
Felle dolor. rapit arma manu, nodiſque gravatum
Robur, & aerii curſu petit ardua montis.
Tum primum noſtri Cacum videre timentem
Turbatumque oculis. fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
Ut ſe ſe incluſit, ruptiſque immane catenis
Dejecit ſaxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultoſque emuniit objice poſtes,
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat & illuc,

Den-

Dentibus infrendens. ter totum fervidus ira
Luſtrat Aventini montem: ter ſaxea tentat
Limina nequicquam: ter feſſus valle reſedit.

Quam parce, quam jejune Livius dicit: *Reddita incluſarum ex ſpelunca boum vox Herculem convertit!* Mutuatus porro eſt a Virgilio hiſtoricus præſtantiſſimus verba illa: *Reddidit una boum vocem.* Deinde nihil addit præter hæc: perrexiſſe ad ſpeluncam Herculem; Cacum, qui prohibere vadentem conatus eſſet, clava ictum: & quum paſtorum fidem fruſtra invocaſſet, morte occubuiſſe. Poterátne Livius minore verborum diſpendio hoc factum attingere? Sed fortaſſe, ut paullo ante monui, non decebat hiſtoricam gravitatem & ſeveritatem in hac fabula diutius morari. Verumtamen quod leges hiſtoriæ reſpuere videntur, id poetica libertas avide amplectitur. Propterea Virgilius Herculem inducit Furiis ardentèm; neque fel ipſum ſeu bilem, iræ materiem, omittit: clavam Herculis deſcribit pondere ac nodis inſignem. Cacum eo primum tempore timuiſſe dicit, fugiſſe, in ſpeluncam ſe recepiſſe. Euro velocitatem fugientis comparat: quodque venuſtum ſimul & admodum efficax eſt, ait, timorem pedibus

dibus alas addidiſſe. Quum vero mortalium peſſimus immane ſaxum, quod ſupra januam ſpeluncæ pendebat, catenis ruptis, dejeciſſet, aditu deum intercluſum. Quæ ſtatim ſequuntur, divina ſunt, & rem propoſitam ſic explicant, ut ea non verbis narrari, ſed coram geri videatur. Audimus enim fremitum dentium: cernimus Herculem iratum, anxium, ultionis cupidiſſimum, denique ob irritum laborem ac vires fruſtra conſumtas feſſum ac reclinatum. Nonne hæc omnia pulchra ſunt, admirabilia, & ad excitandos animos maxime accommodata? Obiter porro monitos velim poetarum ſtudioſos, legendum mihi videri apud Virgilium hoc loco, non ut omnes codices præferunt:

Tum primum noſtri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis — — —

at potius:

Tum primum noſtri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculi — — —

noſtri oculi videre, id eſt, noſtrorum Latinorum; quemadmodum Catullus dixit in poemate de Nuptiis Pelei ac Thetidos v. 16.

Illaque hautque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus exſtantes e gurgite cano.

mor-

mortales oculi pro *mortalium oculi*. Scimus autem, Virgilium plures locutiones a Catullo accepiſſe; quod & Macrobius olim animadvertit in libris Saturnaliorum; & nos in Commentariis noſtris ad Catullum, qui proximis hiſce annis editi ſunt, paſſim obſervavimus. Huic noſtræ ſuſpicioni Servius Honoratus Maurus, vetus Maronis interpres, pondus addit, referens, & nonnullos antiquorum ita legiſſe. Afferamus & reliqua pulcherrimæ hujus narrationis.

Stabat acuta ſilex, præciſis undique ſaxis
Speluncæ dorſo inſurgens, altiſſima viſu;
Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc ut prona jugo lævum incumbebat ad amnē,
Dexter in adverſum nitens concuſſit, & imis
Avulſam ſolvit radicibus: inde repente
Impulit. impulſu quo maximus inſonat æther:
Diſſultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbroſæ penitus patuere cavernæ:
Non ſecus ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, dis inviſa; ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine Manes.

Cacum ab Hercule interfectum fuiſſe, pau-

cis

cis verbis narrat Livius, cui ſcilicet nihil aliud propoſitum erat quam rei geſtæ admonere lectorem ſuum: Virgilius contra, quæ occiſionem latronis anteceſſerint, quæ comitata, quæ ſubſecuta fuerint, omnibus eloquentiæ viribus deſcribit, ut res non geſta narrari, ſed coram ſpectatoribus nunc geri videatur. hac enim facultate præſtant excellentes poetæ. Videmus primum ſaxeam illam molem dorſo ſpeluncæ inſurgentem: deinde conatum Herculis miramur, & laboranti propemodum adlaboramus. Audimus riparum fragorem, & aerem circum reſonantem: ne quid dicam de amne refluente, cui Virgilius timorem tribuit: quod εἴδωλον eſt poeticum: ſiquidem non ignorant eruditi, poetarum eſſe, rebus vita & anima carentibus humanas perturbationes haud raro affingere. Horremus præterea ad aſpectum ſpeluncæ patefactæ: tum cogitatio illa ſubit animum, cujuſmodi ſpectaculum futurum ſit ſi repentino aliquo motu ſola terrarum dehiſcant, & in voraginem illam deſpicientibus arcanæ inferorum ſedes ſeſe oſtendant, & umbræ mortuorum ad inſuetum lumen trepidantes atque confuſæ. Pergamus porro cum Virgilio.

Ergo

Ergo inſperata deprenſum in luce repente,
Incluſumque cavo ſaxo, atque inſueta rudentem
Deſuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, & ramis vaſtiſque molaribus inſtat.
Ille autem (neque enim fuga jam ſuper ulla pericli)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Proſpectũ eripiens oculis; glomeratq; ſub antro
Fumiferam noctem conmixtis igne tenébris.
Non tulit Alcides animis, ſeque ipſe per ignem
Præcipiti injecit ſaltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens ſpecus æſtuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
Corripit in nodum complexus, & angit inhærens
Eliſos oculos, & ſiccum ſanguine guttur.

Inſperata lux hoc loco eſt *inexſpectata: ſpes* enim a poetis, & ab aliis interdum ſcriptoribus pro *exſpectatione* uſurpatur. Hic, quantæ fuerint Herculi corporis vires, quanta fortitudo & magnitudo animi, ſuſpicari facile poſſumus, quum ipſum talia perpetrantem inducit poeta; molaribus nempe lapidibus rem ſtrenue gerentem, neque fumi quem latro vomebat, neque flammæ vi conſternatum.

Dies

Dies me deficeret, ſi horum verſuum pulchritudinem, & ſingula quæ in eis enitent, examinare, ac ſuis ponderibus pendere vellem. Ipſa res fœda & horrida, tamen accurate deſcripta, & ad imaginem veri expreſſa delectat auditorem ; quemadmodum ſi pictor aut pugnam aliquam, aut peſtilentiam, aut maris tempeſtatem, aut feram belluam, aut mendicos homines panniſque obſitos, vel ægrotos, lineamentis & coloribus apte imitetur. Ducimur enim & voluptate afficimur ab hujuſmodi perfecta imitatione ; ut quæ nos vera & viventia metu, horrore, nauſea complerent, ea ficta & ſimulata mirum in modum alliciant, & ſuavi quodam ſenſu perfundant. Id autem qua ratione, & quas ob cauſſas contingat, poſtea inveſtigabimus. Videre igitur licet ſceleſtum latronem Herculi pœnas dantem, oppreſſum, adſtricto collo, eliſis oculis : quod accidere ſolet ſuſpendio pereuntibus. Jam quæ cædem peractam conſequantur, audiamus.

Panditur extemplo foribus domus atra revulſis :
Abſtractæque boves abjuratæque rapinæ
Cælo oſtenduntur, pedibuſque informe cadaver
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Ter-

Terribiles oculos; vultum, villoſaque ſætis
Pectora ſemiferi, atque exſtinctos faucibus
ignes.

Numeri vaſti, ſonantes, magnifici, rei per ſe horribilis horrorem augent. *Abjuratæ rapinæ* ſunt boves a Caco Herculi ſurreptæ, quas latro ſe abduxiſſe perjurio negaverat: *abjurare* enim, proprie eſt juramento negare; quo pacto Græcis ἀπομνῦναι & ἀπόμνυσθαι eſt ἀποφατικῶς ὀμνύναι. Cetera ὑποτύπωσιν egregie abſolvunt: patefactum ſcelus, & a tenebris ubi delituerat, in apricum eductum: cadaver pedibus tractum: jacentis deformitas, facies truculenta, oculi minaces: circumſtantium denique admiratio, & gaudium ob monſtrum interemtum. En quanto largiorem voluptatem haurire licet ex deſcriptionibus poetarum uberibus & copioſis, quam ex parcis hiſtoricorum narrationibus.

CAPUT IV.

Deſcriptionum poeticarum ſummus artifex, & mirus Voluptatis promus condus Homerus. Inepti homines Homero ſuccenſent, & quamobrem. Carminis pulchritudo rebus carmine deſcriptis convenire debet. Quomodo res vulgares poetico amictu indutæ, ex humilibus admirabiles fiant: quomodo item viſu & auditu fœda, horribilia, formidoloſa, ſi a Poeta ingenioſe deſcribantur, Voluptatem efficere poſſint. Philoſophis occurritur, qui Poeticen ob hoc ipſum calumniantur, quod concedant, miniſtram & effectricem eſſe Voluptatis. Non tollendam prorſus Voluptatem, ſed corrigendam & commutandam eſſe.

POETICARUM deſcriptionum eximius artifex Homerus potiſſimum; cujus verba omnia, ſententiæ omnes non tantum auribus mulcendis comparatæ ſunt (id animadvertit Janus Vincentius Gravina, homo apprime doctus, libro 1. de Ratione Poetica, articulo 4.) ſed multo magis imagini rei deſcriptæ in animis legentium ita effingendæ, ut eam præſentem, & ab natu-

ra

ra potius quam ab arte formatam ipſi ſibi cernere videantur. Veneficum dixeris & præſtigiatorem. Hic nonnumquam, ſi fas eſt dicere, modum excedit, nonnumquam orationi parcit, ſed illa quæ omiſerat, poſtea tempeſtive ſupplet: in ſermonibus locutiones populares haud raro inculcat: Protei ſimilis,

Omnia transformat ſe ſe in miracula rerum: modo ſublimis incedit, modo humi ſerpere videtur: modo vocem tollit ac debacchatur, modo tamquam ſpiritu anguſtiore leniter ſermocinatur; pro argumenti ſcilicet vel humilitate vel dignitate: cavet porro diligentiſſime, ne ars quam ſingularem operi ſuo admiſcet, uſquam exſtet, ac ſe videndam præbeat: ſummus idem artifex & artis diſſimulator. Has Homeri virtutes docti & ſapientes homines animadvertunt & admirantur: inepti neque obſervant, &, ſi diis placet, contemnunt ſæpius atque faſtidiunt. Pigmenta enim orationis & cincinnos amant, eoſque poetas exoſculantur qui ab exprimenda veritate quam longiſſime abhorrent, & in oſtentando acumine ingenii, mentiſque agitatione toti ſunt. Divinus ille ſcriptor, in fingendis fabulis numquam ab

exemplari naturæ dejicit oculos: non ea tamquam facta proponit quæ fieri nullo modo poſſunt: rerum ſeriem ita nectit ut eæ plerumque contingere ſolent: dumque poetica inventione veritatem exprimere ac repræſentare conatur, ſemina idemtidem ſpargit philoſophiæ ac multiplicis eruditionis, qua ſapientium animi paſcantur & oblectentur. Quæ ſane utilitas ab ejus poematis abeſſet, ſi ſcribendo non naturam ducem, aut uſitatos eventus, ſed temeritatem potius, & futilia quædam viſa impetuſque inanes perperam ſequi voluiſſet. Nam ſcientia conſtat ex cognitione vera: cognitio autem vera ex rebus oritur ea ratione conſideratis qua ſuapte natura ſunt, non qua cogitationi hominum aut deſiderio apparent. homines enim plerumque ſatietate quadam præpoſtera uſitatarum rerum tenentur, ac TRITÆ veritati admirabilem novitatem inepte anteponere conſueverunt. Propterea Socrates quidem, Plato, Ariſtoteles, Zeno Stoicorum princeps, & veteres alii plurimi viri ſapientiſſimi, quos recenſere longum eſſet, Homeri inventionem probaverunt, ac ſummis laudibus extulerunt: quam contra puſilli poetæ, ſi modo eos hoc nomine dignamur,

&

& leves poetarum exiſtimatores, puerili ſententia, ut vilem, ſimplicem, jejunam atque inornatam, aſpernantur; ipſi nubibus captandis intenti, & portenta fabularum, atque inexplicabiles rerum nexus in ſcenam inducentes, qui nullam in ſe contineant ſimilitudinem veri. Horum poemata ſi accurate introſpicias, nihil in iis deprehendes quod cum natura conferri poſſit, neque ullum caſuum humanorum agnoſces; quum ad alíus orbis terrarum exemplum efficta ſint, nihil ad nos pertinentis. Præcepta ex iis depromta vitæ inutilia ſunt: neque hominum ingenium & mores, illorum ope inveſtigare ac diſcere poſſumus; qui maximus eſt lectionis fructus. Nam ſi ea provoces ad lucem naturæ, tum ipſorum vanitas manifeſto intelligitur: & ſi cum veris comparare ſtudeas, fontem atque originem unde profecta ſint, numquam invenies.

Mirus igitur voluptatis promus condus, ut ajebam, Homerus eſt: idem ſtili poetici pater, elegantiarum arbiter, æmulus naturæ, acer inveſtigator eorum quæ proprie ac vere pulchra ſunt. Porro quum in poetico ſermone duo contineantur, materia videlicet, ſeu res de qua dicitur, & ipſe

dicendi modus; exſiſtit propterea quæſtio difficilis, quomodo poetæ pulchrum ſectari dicendi ſint. Nam primum res abſolutâ & ſimplici pulchritudine paucæ admodum ſunt, dii puta, heroes, eorumque opera & actiones: deinde ipſe dicendi modus omni ex parte pulcher, valde rarus erit. In anguſtias igitur compelli videbimus rem poeticam, ſi eam tantopere pulchri ſtudioſam eſſe oporteat. Nam hoc pacto neque Comœdia, neque Satyra, neque Tragœdia ipſa ad Poeticam pertinebunt, tamquam ejus partes: neque Ecloga, neque ex Lyricis plura. Præterea dici amplius non poterit, poetæ facultatem nullis certis finibus coerceri & circumſcribi, materiamque omnem, ejus propriam fieri poſſe. Verum enimvero quum affirmamus, poeticum ſermonem ſimpliciter pulchrum eſſe debere, non id volumus, res tantum quæ in ſe pulchræ ſint, materiam eſſe Poeticæ accommodatam, vel unum eſſe dicendi genus quod poetis conveniat, idque per ſe pulcherrimum & nobiliſſimum: ſed ſignificamus, cum re quæ carminibus exprimenda eſt, carmina ipſa conſentire oportere. Sunt enim aliqua per ſe pulchra quæ ſi certis rebus ac-

com-

commodentur, pulchritudinem ſuam omnem ac decorem amittant. Veſtis aurea pulchra eſt: ruſtico illam vel agaſoni circumda, riſum excitabit; tantum abeſt ut vilibus hiſce perſonis decorem atque ornatum allatura ſit. Eodem pacto ſi rebus comicis, e trivio petitis, heroicam majeſtatem conciliare velis, omnia efficies indecora. Id Horatius vidit, in Epiſtola ad Piſones v. 89. ita præcipiens:

Verſibus exponi tragicis res comica non vult.

Qui ſcriptor peritiſſimus libro 1. Sermonum Satyra 10. laudat ſtilum Virgilii Bucolicum, tamquam argumento convenientem, atque adeo pulchrum, eumque *facetum* appellat peculiari quadam ſignificatione, ſcilicet ad rem propoſitam facientem, aptum, congruum.

--- --- -- -- *Molle*, inquit, *atque facetum*
Virgilio annuerunt gaudentes rure Camœnæ.

Bonus igitur poeta in ſuo quæque genere ſimpliciter pulchra & decora eligere debet. Quippe in omni genere ſunt quædam pulchra, alia pulchriora, nonnulla pulcherrima, rei deſcribendæ convenientia. Egregium poetam uti decet pulcherrimis in eo genere quod ſibi excolendum ſumſit; quamquam ea quæ ſe-

legerit, non ſint pulcherrima ſi cum rebus omnibus, & cum generibus univerſis comparentur. Quemadmodum enim genus generi præſtat dignitate, ſic etiam quæ pulcherrima ſunt in ſuperiori genere, pulchritudinem ſuperant eorum quæ generis inferioris pulcherrima habentur. Et fortaſſe poematis genus omnibus aliis generibus dignitate anteferendum, ſi verum fateri volumus, unum eſt, nimirum heroicum: quo tamen ſemper poeta non utitur, neque enim deceret. Veneres igitur omnes, omnes dicendi virtutes poeta perſequitur. Ac primum ſingulas voces modulatur: ſonoras eligit, abſurdas rejicit, vel abdit in carmine quantum poteſt: ingentem earum ſonum a leni & exili ſubtiliter diſtinguit: tranſlatas propriis concinne admiſcere novit: omnem earum decorem attente conſiderat. Tum pedum rationem habet ac numerorum: deinde ad verſus faciendos animum appellit, quid cuique formæ conveniat, diligenter inquirens. Quod vero pertinet ad res ipſas, pulchras tantum ac magnas, quantum argumenti ratio patitur, adhibere conſuevit: deinde iiſdem rebus nonniſi pulchra & admirabilia tribuere: quæ ſi forte non ſuppe-

tant,

tant, fingit ea ſæpenumero, atque ope translationum, παρεκβάσεων, comparationum, producit ac præſto eſſe facit. Nam, ut ait Plautus in Pſeudolo, (Act. 1. Sc. 4.)

— — — Poeta tabulas quum cepit ſibi,
Quærit quod nuſquam eſt gentium, reperit tamen;
Facit illud veriſimile quod mendacium eſt.

Reliqua porro quæ pertinent ad excellentiam ſermonis, omnia ſcrutatur, omnia in medium adducit: varios apte diſponendi & continuandi modos, figuras & alia ornamenta complura, de quibus in præſentia dicere, non eſt inſtituti noſtri. Hæc igitur multiplex rerum vocumque pulchritudo, poſtquam induſtriâ poetæ unum in locum advecta & comportata eſt, ejuſque orationem, tamquam uberrimus quidam fons, irrigavit; miram & pæne divinam efficit ἁρμονίαν, cui nulla par alia inveniri & excogitari poſſit. Quapropter ipſius poetæ animus primum demulcetur, & quodammodo extra ſe rapitur; nec ſe amplius continet, ſed Bacchantium more incitatus fertur: deinde auditores ejus lectoreſque, amabili hac inſania correpti, quo illos ducit ſuavitas carminum libenter ſequuntur, curarum imme-

memores ac moleſtiarum omnium, quæcumque hominum vitam ſollicitam & infeſtam reddunt.

Nunc illud exponendum videtur, quomodo res vulgares poetico amictu indutæ, humilitate depoſita, ex vilibus admirabiles fiant: quomodo item viſu & auditu fœda, horribilia, formidoloſa, ſi a poeta ingenioſe deſcribantur, voluptatem parere poſſint. Unde vero potius incipiam afferenda cauſſa, quam ab iis quæ de hoc argumento a viris totius naturæ prudentibus, quum antiquis, tum recentioribus, tradita ſunt? Sciendum igitur eſt, eam ſenſuum externorum eſſe rationem, ut rerum ſingularium notitiam in animis noſtris imprimere, ſpeciemque illarum optime ſignatam relinquere nequeant, niſi mens ipſa vigilet ac diligenter attendat: ex qua mentis attentione forma ſeu ſpecies generalis educitur, quæ ſcientiæ poſtea ſemen & origo eſt. Quo magis autem res nobis proximæ ſunt, & nobiſcum familiariter verſantur, eo minus illas animadvertimus, & levius ab ipſis commovemur: mens enim ab iis quæ raro accidunt, vehementius pertrahitur atque excitatur: ea nimirum inſignes notas circum ſe habent,

qui-

quibus a quotidianis & frequentioribus diſtinguuntur & ſeparantur. Iccirco ſolem orientem occidentemque pauci fere ſunt qui mirentur: idem ſi ſereno cælo deficiat, omnium ora oculoſque in ſe convertit. Eamdem ob cauſſam corpora vel φαινόμενα in ſublimi ſuſpenſa, quæ Græci μετέωρα vocant, curioſe admodum intuemur; terreſtria corpora negligimus, maxime quæ prope nos poſita ſunt. Id notavit etiam D. Auguſtinus Tractatu 8. in Joannis Evangelium num. 1. *Quis eſt enim*, ait, *qui conſiderat opera Dei, quibus regitur & adminiſtratur totus hic mundus, & non obſtupeſcit obruiturque miraculis? Si conſideret vim unius grani, cujuslibet ſeminis, magna quædam res eſt, horror eſt conſideranti. Sed quia homines in aliud intenti perdiderunt conſiderationem operum Dei, in qua darent laudem quotidie creatori: tamquam ſervavit ſibi Deus inuſitata quædam quæ faceret, ut tamquam dormientes homines, ad ſe colendum mirabilibus excitaret*. Fit etiam propterea ut plerumque alienorum animorum cognitionem facilius nobis comparemus, noſtrum ignoremus. Jam ſi aliquis cupiat morum & perturbationum humanarum ſcientiam adipiſci, profecto veritatem ipſam, & ho-

homines, quibus mores & affectiones accidunt, contemplari debet: neque hujuſmodi notitiæ depromi aliunde poſſunt quam ex rebus conſuetis & familiaribus, circa quas præcipue tota hominum vita verſatur; ad cujus emolumentum atque utilitatem cogitationes noſtras omnes tendere & collineare oportet. Illud tamen incommodi ſecum fert contemplatio hujuſmodi, quod uſitata & familiaria ſingulas ipſorum proprietates menti noſtræ, ſuapte vi & facultate exhibere non poſſunt: propterea quia res paſſim occurrentes præterire ac minus obſervare ſoliti ſumus. Cauſſam vero putant eſſe, quod res quælibet vulgaris cum pluribus aliis conjuncta & colligata ſit: iccirco imaginem ſui ſimplicem ac ſeparatam in animo noſtro effingere non poſſit. Senſus igitur ille interior ad quem rerum imagines feruntur, quum ab earum aliqua percellitur, in ceteras quæ conjunctæ ſunt, continuo diſtrahitur & diſſipatur. Ita mens pluribus imaginibus eodem tempore occupata, vires omnes ſuas cogere atque adducere nequit ad unam rem attente pervidendam: neque acute cogitare; ex qua deinceps cogitatione naſcatur ſcientia proprie dicta. Res quidem

uni-

univerſæ hominum ſenſibus objectæ, & circa ipſos aſſidue volitantes, occaſionem afferunt ſciendi : quis neget? nos tamen, ſi propius acceſſerint, minus in iis percipimus veritatis notas : quemadmodum litteræ minus videntur ſi, omni ſublato intervallo, ipſis oculis imponantur. Contra, ſi novitas quædam rei objectæ comitetur, admirationem ſtatim excitat, cujus vi mentem ab aliis imaginibus avertit, & ad unam tantum conſiderandam trahit: quapropter mens in corpore illo, novitate induto, multa diſcernere incipit quæ antea minus animadverterat, illudque penitus introſpicere, ac pro merito ſuo æſtimare. Quamobrem Chærea Terentianus adoleſcens in Eunucho Act. 2. Sc. 3. ita de virgine pulchritudinis inuſitatæ :

O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres :
Tædet cotidianarum harum ſormarum.

& paullo poſt :

Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum -- ---- nova figura oris -- -- -- -- color verus, corpus ſolidum & ſucciplenum -----

Quoniam igitur naturalia & humana, in ſenſus quotidie incurrentia, mentis attentio-

tionem effugiunt; iccirco grato quodam colore novitatis veſtienda ac perfundenda ſunt, quem admiratio conſequatur. hoc enim pacto multa jam in iis aſpicientur quæ antea non cernebantur. Poeſis vero doctus ille artifex eſt qui hujuſmodi colorem novit rebus inducere: dum enim fabulas fingit, earumque ſubſidio veritatem exprimere atque imitari ſtudet, res natura viles vulgareſque, arte adminiſtra novas & inexſpectatas concinnat. Omnes porro mirantur, & jure quidem, naturalia quæ ſunt, ea per artem effici poſſe: tamquam ſi arborem Indicam in Italico aut Gallico ſolo radices egiſſe, ac fructus protuliſſe viderent: & ſane inſolitum eſt ac παρὰ προσδοκίαν, rerum univerſitatem intueri, non elementis, non primis corporibus, non materiæ neceſſitate, verum coloribus, aut cælo, quod pictoris eſt ac ſtatuarii; vel numeris & verbis, quod poetæ ſolent, formatam. Species igitur novitatis magnam profecto vim continet ad mentem excitandam, ut ea res objectas accuratius & ſubtilius contempletur: propterea mores hominum, in theatris, quam in foro & angiportis, innoteſcunt magis. Ex illo etiam fonte non mediocris volu-

ptas

ptas manat : quod quum in fictis rebus imaginem veritatis agnoſcimus, puta in Euclione aut Pyrgopolinice perſonis Plautinis mores avari hominis & militis glorioſi affabre delineatos; ejus quod in vita contingere ſolet, ſtatim reminiſcimur, tum ſpeciem verbis incluſam cum ea quæ in theſauro memoriæ ſervatur, comparamus; & ſimilitudine inter illas deprehenſa, earum ſingulas proprietates notare & colligere inſtituimus. Dum autem hæc mentis quaſi trutina examinantur, humaniſſima complectur animus voluptate.

Ceterum, quod res natura miſerabiles, terribiles, indecoræ, ſi apta ratione poeticis numeris condítæ fuerint, nos delectent magis, quam immoderato dolore, metu, vel indignatione afficiant, cauſſam hanc eſſe dicunt ſapientes, præſertim Vincentius Gravina: triſtibus etiam affectionibus admixtam eſſe voluptatem, quum ſcilicet ab rerum imaginibus lenis quidam motus in animo excitatur, qui blande nervorum & cerebri fibras titillat, damni opinione procul amota, ut in caſu ficto: quæ opinio ſi adeſſet, non titillaret quidem, ſed vehementius diſtraheret corporis particulas: id au-

autem fieri ſine moleſtia & cruciatu non poteſt. Præterea, quum ob aliena mala dolemus, aut ob pericula metuimus, aut propter ſcelus aliquod indignamur, æqui & juſti nobis ipſi videmur; hæc autem forma virtutis quam in nobis agnoſcimus, animi noſtri facultates ita occupat atque devincit, ut ex ea re mirabilis quædam oriatur delectatio. Conſtat igitur, ſolam ſimilitudinem fontem voluptatis atque utilitatis eſſe largiſſimum.

Satis, ut credo, adhuc oſtendimus, poetica ſtudia jucunda eſſe, & quamobrem ſint. Nunc philoſophis occurrendum, vel potius nonnullis qui ſe philoſophos haberi volunt. Hi ſiquidem concedunt non inviti, Poeticen miniſtram & effectricem eſſe voluptatis: tamen propter hoc ipſum eam calumniantur, nimirum affirmantes, artem voluptariam in rebus futilibus ac minimi pretii numerari oportere. Qui utinam flagitioſas voluptates ab honeſtis diſcernere ac ſeparare vellent: utinam turpium delectationum tam inimici eſſent moribus & re ipſa, quam omnibus omnino verbo adverſantur. Ego vero contra, quod honeſtam efficit voluptatem, id utiliſſimum civitati-

bus

bus eſſe judico. Paucos enim valde mortales invenias qui aſpernentur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiantur, excludant auribus omnem ſuavitatem. Hominibus hujuſcemodi, nihil umquam corpori, nihil humanitati indulgentibus, Pythagoræi fortaſſe quidam aut Stoici deos propitios (ut verbis utar Ciceronis ex Oratione pro M. Cœlio,) plerique autem iratos putabunt. Interrogarem libenter iſtos voluptatis reprehenſores, utrum copias familiares, pecuniam, redditus amplificare ſtudeant: utrum ædium privatarum elegantiam & magnificentiam dolio Cynici anteferendam exiſtiment: utrum tabulas pictas nobilium artificum domi habere velint: an potius vitæ genus auſterum, parcum, ſordidum elegerint, quod philoſophicæ ſeveritati conveniat. Verum & philoſophos lucri cupidos atque opum parandarum eſſe videas, quas non ſolum ex rebus aliis, ſed interdum ex ipſa philoſophia contrahere feſtinant. Divitiæ tamen cuinam rei præcipue inſerviunt niſi voluptati, quam ipſi rem futilem & ſupervacaneam appellant? Certe ſi vitæ neceſſitatibus remedia & ſolatia, non aliud

præterea quæreremus, dementis eſſet, in pecuniis coacervandis tantam operam ponere. Cur igitur divitias parant, voluptati vero ſuccenſent, cujus potiſſimum cauſſa locupletes homines eſſe cupiunt? Nam & qui pecuniæ parcunt, ab omni ſumtu liberali abſtinentes, avaritia ſua delectantur, & hoc ipſum ingentem voluptatem exiſtimant, ſumtuoſas voluptates aſpernari. Videmus igitur, voluptatem ab omnibus coli, volentibus, invitis, laudantibus, vituperantibus. Quapropter danda opera eſt ut illecebrâ hujuſmodi, quæ, inſita naturæ, ad fruendum voluptatibus invitat, recte uti poſſimus: eamque tamquam equum indomitum & laſcivientem, freno injecto, in gyrum rationis compellamus. Id poeſis egregie præſtat, quæ adoleſcentulos in omne genus delectationis effuſos, utilibus & ſuavibus fabellis, a teneris, ut ajunt, unguiculis, formandos & erudiendos ſuſcipit, eos in officio continens & ſtudio virtutis, non ademta prorſus, ſed commutata voluptate. Horatium de hac re non pigeat audire, cujus hæc verba ſunt Epiſt. 1. lib. 2.

Os tenerum pueri balbumque poeta figurat:
Torquet ab obſcœnis jam nunc ſermonibus aurẽ:

Mox

Mox etiam pectus præceptis format amicis,
Aſperitatis & invidiæ corrector & iræ:
Recte facta refert: orientia tempora notis
Inſtruit exemplis: inopem ſolatur & ægrum.

Si verum igitur eſſet, quod olim Epicurus effutiebat, delectationem quæ ex libris poetarum colligitur, totam eſſe puerilem, poeſis nihilominus magni æſtimanda foret: ratio enim puerorum recte inſtituendorum, apud viros prudentes & reipublicæ adminiſtrandæ peritos ingens omnino pondus habere debet. Sed quum a prima illa rudique ætatula diſceſſerimus, plures alios inveniemus quibus poetæ non contemnendam utilitatem afferre poſſint. Hi ſunt vulgares homines neque doctrina exculti, in quorum pectoribus multa reliqua ſunt quæ puerilem ſtultitiam ſapiant. Nam, ut vere Græci, *ἰδιώτης πᾶς καὶ ἀπαίδευτος, τρόπον τινὰ παῖς ἐστι· omnes rudes ac litterarum imperiti, quodammodo pueri ſunt.* Si quis autem diſciplinas populo profuturas nihili æſtimat, is maximæ hominum parti conſultum eſſe non vult.

 CA-

Caput V.

Ars Poetarum adminiſtra eſt Civilis Diſciplinæ. Cur Poetæ Dramatici διδάσκαλοι *a Græcis appellati. Quid ſit* docere fabulam, *adverſus Caſauboni ſententiam declaratur. Horatius explicatus. Mores perſonarum in Dramate plerumque bonos eſſe oportet, aut ſi mali ſint, cum ſupplicio & ignominia conjunctos. Hiſtoricorum vitium in hoc genere notatum. Sententiæ acutæ perturbatis affingendæ non ſunt. Ipſum elocutionis genus quo utuntur Poetæ, morum emendationem efficit. Poeſis ad Philoſophiam manu ducit. Magni Poetæ Philoſophi ſunt, quamquam id minime profiteantur. Plato, & vetuſtiſſimi quique Philoſophorum, fabulis delectati.*

Atque hæc altera cauſſa eſt de tribus propoſitis, quamobrem poeſis retineri debeat in civitate: quod nimirum civilis diſciplinæ miniſtra ſit, moreſque hominum corruptos, dummodo recte tractetur, ſapientibus fabulis emendet: integros autem & innoxios, cujuſmodi fere ſunt puerorum, ne corrumpantur prohibeat. Id o-

ptime

ptime animadverterunt Græci veteres, ut narrant Lucianus ἐν τῷ περὶ γυμνασίων, & Athenæus lib. 2. Teſte autem Strabone lib. 1. Geographiæ, civitates Græciæ pueros ante omnia in poeticis inſtituebant, οὐ ψυχαγωγίας χάριν, ἀλλὰ σωφρονισμοῦ, non delectationis tantum cauſſa, ſed præcipue propter modeſtiam. Idem ſcriptor affirmat, poeticam artem a veteribus primam philoſophiam appellatam fuiſſe; utpote quæ a prima ſtatim ætate vitam hominis formet, doceatque mores, affectus, & actiones. Enimvero Dramatum ſcriptores, ut de his potiſſimum loquamur, tamquam ſcopum & finem, civium inſtitutionem, morumque emendationem ſibi propoſuerunt. Quod quum verum omnino ſit, falli tamen exiſtimo Gerardum Joannem Voſſium, qui ejus rei argumentum putat, quod poetæ dramatici peculiari quodam nomine διδάσκαλοι appellarentur, nempe doctores & magiſtri, ac docere fabulam dicerentur. Hoc enim ad finem & propoſitum δράματος, meo judicio, nihil pertinet. Aliud ſane prorſus eſt docere hiſtrionem, quomodo perſonam ſibi commiſſam agere ac tueri debeat, aliud, ope fabulæ ab hiſtrionibus actæ docere po-

pulum, quomodo virtutem adipiſci, vitium contra declinare poſſit. Δραματικοὶ utroque munere fungebantur; verum ob illud prius tantummodo διδάσκαλοι & doctores fabularum dicebantur: quum fabulas quidem docerent, fabulis vero docerent. Hunc tamen errorem, ſi error dicendus eſt, hauſiſſe videtur Voſſius ex cap. 7. Animadverſionum Iſaaci Caſauboni ad librum 6. Athenæi, qui, Criticus alioqui doctiſſimus, pluribus locis veterum ſcriptorum abutitur ad eam opinionem tuendam. Verba ſane Harpocrationis de hac re in Lexico decem Rhetorum, meæ ſententiæ potius favent. Sic enim ait Harpocration: Οἱ Ἀττικοὶ ἰδίως διδασκάλους λέγουσι τοὺς ποιητὰς τῶν διθυράμβων, ἢ τῶν κωμῳδιῶν, ἢ τῶν τραγῳδιῶν. id eſt, *Attici proprie doctores dicunt poetas Dithyramborum, vel Comœdiarum, vel Tragœdiarum*. Hoc igitur doctoris nomen tribuebatur poetis hujuſmodi quod hiſtriones docerent, non quod populum. Nam Dithyrambi certe nullos docebant mores, niſi forte pravos & incompoſitos, quales ebrioſorum & comiſſatorum ſolent eſſe. Turpe autem fuiſſet, ob eam cauſſam doctorem vocare qui Dithyrambum ſcripſiſſet. Verum quum etiam Dithyrambus ageretur,

ac triplici inſtrumento imitationem abſolveret, nempe rhythmo ſeu numero, concentu ſive harmonia, & præterea metrico ſermone, quemadmodum Tragœdia & Comœdia; iccirco hiſtrione indigebat, qui a poeta doceretur. Horatius quoque Dithyrambum ſignificavit Ode 19. lib. 2.

Bacchum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphaſque diſcentes, & aures
Capripedum Satyrorum acutas.

Dithyrambus enim carmen erat Baccho dicatum. Propterea conſentaneum fuit, Bacchum ipſum inducere ejus poematis rationem & modos in ſilvis docentem. Idem poeta in Epiſtola ad Piſones (v. 288.) dixit de Tragœdiis & Comœdiis Latini ſeu Romani argumenti:

Vel qui Prætextas, vel qui docuere Togatas.

Porro quum Dramatum ſcriptoribus civium inſtitutio, morumque popularium emendatio propoſita eſſe debeat, iccirco qui artis poeticæ præcepta tradiderunt, quum de moribus perſonarum in Dramate verba faciunt, oportere dicunt, eos bonos ac frugi plurimum eſſe. Videmus enim, pictores libentius exerceri in pulchra aliqua facie pingen-

da., quam in turpi. Cur igitur & poeta bonos mores non potius imitabitur, quam perditos & diſſolutos? Profecto ſi maxima utilitas horum ſtudiorum in eo conſiſtit, ut poematis legendis, audiendis, præſertim vero ſpectandis virtus commendetur, & populi vitia corrigantur, quod oſtendendum ſuſcepimus; nemo negaverit, hunc fructum certius & uberius colligi ab imitatione morum bonorum, quam malorum. Non eſt tamen exiſtimandum, malis moribus nullum relinqui locum in Dramate. Neceſſarium enim aliquando eſt ut ſceleſti & flagitioſi homines, cum quibus honeſti & virtute præditi aſſidue bellum gerunt, in ſcenam inducantur: quod quum fit, convenientes iis mores, orationem, ſententias tribuere oportet, ne violetur τὸ πρέπον, & poeta jure ac merito, ineptiarum accuſari poſſit. Parcius tamen omnino deſcribendi ſunt hujuſmodi homines; quum bonis exemplis Drama potius abundare debeat: neque animorum pravitates, & peſſima ingenia copioſe adeo & exquiſite ob oculos ponenda ſunt, ut vel poeta ſe malum oſtendat, & malorum imitatione gaudentem, aut ſpectatorum moribus vitium & labes inferatur: quod ſane facil-

Digitized by Google

facillimum eſt. Aſſentior enim libentiſſime philoſopho noſtrorum temporum longe clariſſimo (*Leibnitio in Theodicæa*, *parte* 2.), cui ſcilicet commune peccatum Hiſtoricorum videtur, mali potius quam boni rationem habere, atque in ſceleribus deſcribendis diutius commorari. Exiſtimat porro vir ſapiens, Hiſtoriæ ac Poeſeos munus eſſe præcipuum, prudentiam ac virtutem exemplis docere: vitiorum deinde imaginem ita effingere, ut adverſus ea magnum odium & gravis offenſio lectorum auditorumque concitetur. Si verum fateri volumus, hoc ſæpiſſime delinquunt poetæ Itali & Galli qui Comœdias & Fabulas paſtorales quas vocant, ſcenæ ac populó committunt. Adeo enim adoleſcentulorum & muliercularum mutuis amoribus, deliciis, corruptelis imitandis dant operam, ut nihil aliud ipſis propoſitum eſſe videatur quam nervos omnes virtutis elidere, juventutem quaſi venenis malis imbutam, Eccleſiæ ac Reipublicæ inutilem, vel etiam oneroſam & pernicioſam efficere, virginibus & nuptis pudorem adimere, audaciam & licentiam addere, virile robur frangere, pravæ voluptatis regnum, in quo virtus conſiſtere non poteſt, amplificare

ficare ac ſtabilire. Si quis igitur poeta dramaticus hominem ſceleſtum & nefarium loquentem atque agentem induxerit quomodo fert conſuetudo malorum, non eſt ei obliviſcendum pœnarum quas ille diis hominibuſque dare debet. Iccirco ad exitum fabulæ ipſum infelicem finget, puta extorrem patria, ſpoliatum imperio ac poteſtate, vel capitali ſupplicio affectum, ut homines nimirum intelligant, quem fructum pariant ſcelera atque flagitia: pietatem, fidem, pudorem, abſtinentiam, conſtantiam, ſanctitatem non ſolum res honeſtas, verum etiam utiliſſimas eſſe: his vero contraria quæ ſint, quum inſignem turpitudinem continere, tum ſuis auctoribus atque amatoribus peſtem ac perniciem demum afferre. Nihil enim adeo mores corrumpit, adoleſcentium præcipue, qui res pro merito ſuo nondum æſtimare noverunt, quam videre ſcelerum impunitatem, & bonis male, contra malis bene eſſe. Pœna igitur crimen ſequatur, quemadmodum in civitate, ſic & in ſcena. Pronuntiaverat hiſtrio in Tragœdia quadam Euripidis verſus hoſce plenos laudibus divitiarum, ut narrat L. Seneca Epiſtola 115.

Sine me vocari peſſimum, ut dives vocer:

An

An dives, omnes quærimus: nemo, an bonus. & poſt multa in eamdem ſententiam, hæc demum ſubjunxerat:

Pecunia ingens generis humani bonum,
Cui non voluptas matris, aut blandæ poteſt
Par eſſe prolis, non ſacer meritis parens.
Tam dulce ſi quid Veneris in vultu micat,
Merito illa amores cælitum atque hominũ movet.

Quum hi poſtremi verſus recitati fuiſſent, totus populus ad ejiciendum & actorem & carmen uno impetu conſurrexit: donec Euripides in medium ipſe proſiluit, petens ut exſpectarent, ac viderent quem admirator auri exitum faceret: dabat vero in illa fabula pœnas avaritiæ ſuæ Bellerophontes. Magna certe laus eſt veterum Athenienſium, & aliarum etiam Græciæ civitatum, homines populares in illis ad virtutem ita inſtitutos & condocefactos fuiſſe, ut abſurdas impiaſque ſententias, vel ab hiſtrione in theatro prolatas, ferre non poſſent, indignaſque auribus ſuis judicarent. Hujuſmodi populum hoc tempore optare quam videre facilius eſt. Mores igitur perſonarum Dramatis plerumque bonos eſſe oportet; vel ſi mali nonnumquam fuerint, cum ſupplicio & ignominia conjunctos.

Illud

Illud etiam Tragici & Comici poetæ animadvertere debent, quod ab ſcriptione hac noſtra non alienum eſt; perturbationibus animorum exprimendis haudquaquam convenire frequentes γνώμας: ſunt enim γνῶμαι opus ratiocinationis; quum ex generali pronuntiato ſingulare aliquid colligitur. Quis autem neſcit, rationi & perturbationi parum admodum convenire? Amantes, verbi cauſſa, dolentes, irati multa proferre ſolent ἐκ παραλογισμȣ̃, nempe ex falſa ſpecie rationis, pauciſſima ἐκ λογισμȣ̃, nempe ex juſta & legitima ratiocinatione. Decebit propterea, hujuſmodi perſonis tribuere διανοίας a veritate abhorrentes, quæ illarum affectionibus blandiantur: populus enim earum falſitatem facile intelligit, quum videat ex quo fonte profectæ ſint. Decet Virgilium 4. Æneidos ex Didonis deſperantis perſona hæc pronuntiare:

— — — — Jam jam nec maxima Juno,
Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.

Quamquam id religioni veterum contrarium erat, qui ſcilicet Jovem rebus humanis conſulere opinabantur, Junonem autem Jovis uxorem eſſe, a proavis acceperant. Iccirco ſi quis δόγματα hujuſmodi pernegare in ani-

mum

mum induxiſſet ſobrius, nullaque animi vehementi perturbatione externatus, is nimirum violatæ religionis, & βλασφημίας magiſtratibus pœnas dediſſet.

Non tamen exiſtimandum eſt, hanc morum popularium emendationem, de qua ſuperius dicebamus, ſolis fabulis effici: nam & elocutio poetarum, voluptate adminiſtra, feritatem ab hominum animis depellit, eoſque cicures, manſuetos, & ad virtutis ac ſapientiæ præcepta cognoſcenda reddit idoneos. Sublimia enim ſectantur philoſophi, ardua, inacceſſa: propterea vulgus in aditu ipſo & limine philoſophiæ, metu quodam atque horrore concutitur: neque mirum; quum videat ſibi a ſenſibus & corpore longe recedendum, ut ad æterna & cæleſtia poſſit aſcendere. Non eſt enim cujuslibet, ſed ejus tantummodo qui aſſidua meditatione & exercitatione robur animi ſibi comparaverit, philoſophiæ ſtrenuam operam dare. Id animadvertit Macrobius, vir Platonicis decretis egregie imbutus, libro 1. Commentariorum in Somnium Scipionis cap. 8. Verba ipſa recitabo: *Fortitudinis eſt, non terreri animam a corpore quodammodo ductu philoſophiæ recedentem, nec altitudinem perfectæ ad*

ad ſuperna aſcenſionis horrere. Principio igitur oportet Poeticen præſto eſſe, quæ animum pavore debilitatum, & quid aggreſſus fuerit ſecum reputantem, jucundo colloquio reficiat; tum fabularum & numerorum ſuavitate propoſita, dubitantem & viribus ſuis diffidentem confirmet paullatim, &, ut ita dixerim, tollat in currum, eoque tandem perducat, quo ipſe numquam, ſine adjumento, pervenire potuiſſet. Huc pertinent verſus Lucretii ex libro 4. de R. N.

Nam veluti pueris abſinthia tætra medentes
Quum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſinthî laticem, deceptaque non capiatur;
Sed potius tali tactu recreata valeſcat:
Sic ego nunc, quoniam hæc ratio plerumque videtur
Triſtior eſſe, quibus non eſt tractata; retroque
Volgus abhorret ab hac; volui tibi ſuaviloquenti
Carmine Pierio rationem exponere noſtram,
Et quaſi muſæo dulci contingere melle:
Si tibi forte animum tali ratione tenere
Verſibus in noſtris poſſem, dum percipis omnem
Naturam rerum; ac perſentis utilitatem.

Quod

Quod ſi poetarum lucubrationes eo nonnumquam tendere videntur, ut vitia potius quam virtutes doceant, id artis utiliſſimæ laudibus nihil detrahit: nam artifices ipſi culpandi ſunt, qui re ſaluberrima ad peſtem & perniciem hominum abuti non vereantur. Nonne aliquando etiam philoſophi abſurdis & impiis opinionibus, tamquam venenis malis, mentes imperitorum inficere atque a veritate abducere conantur? his præſertim temporibus, quibus docti & ſapientes fere haberi non ſolent niſi qui ſtrenue ac fortiter deliraverint. At hoc philoſophis tam auguſto nomine indignis vitio vertendum eſt, non ipſi philoſophiæ. Agnoſcant igitur ſapientiæ amatores Apollinem Jovis μεγάλου πολιτικοῦ μέγαν συνεργόν, *magni gubernatoris magnum miniſtrum & adjutorem*. Dumque illi rerum ſublimium, & vitæ ſæpe inutilium contemplationi vacant, boni communis immemores, ſinant poetas frugi in vacuam quaſi poſſeſſionem venire, ſinant populo conſulere, & animorum ſanandorum curam & provinciam ſuſcipere. Porro, quemadmodum in depellendis corporis morbis plurimi refert, quo medico utaris, familiarſne ac facili, cujus ipſe aſpectus delectet

lectet ægrotum, bonamque ſpem habere jubeat; an vero ignoto, auſtero, vultuoſo, fronte contracta, qui adventu ſuo aliquid mali ominis afferre videatur: ita quum affectis animis medicina eſt adhibenda, in hujuſmodi remediorum auctore maxima profecto momenta ſunt. Grave moleſtumque vulgo eſt nomen philoſophi: nimirum quia popularis improbitas virtutis ac ſapientiæ fulgorem lippis & conniventibus oculis intueri non poteſt, ut veſpertiliones ac noctuæ lumine ſolis offenduntur: eſt enim omnino aſperum & injucundum, intelligere quibus bonis careas, & ſimul deſperare illa te umquam aſſecuturum. Iccirco neque pauper divitem, neque privatus magiſtratum, neque deformis formoſum, neque temperantem intemperans, neque fortem & militarem virum libenter videt qui imbellis eſt. Ob hanc potiſſimum cauſſam philoſophia popularibus hominibus parum accepta, immo etiam ſuſpecta eſt; ſi quis eam aperte, ſine fuco & fallaciis profiteatur. Contra poetæ libentiſſime audiuntur, amantur, in deliciis habentur: neque enim cenſuram & objurgationem fronte præferunt, ſed caute diſſimulant: & in eorum carminibus apparet vo-

voluptas, tamquam in cortice; latet virtus & ſapientia, ſicut in medulla. Falluntur enim qui putant, optimum poetam non eſſe philoſophum: conſentiunt mirum in modum Poetice ac philoſophia; & ii quos poetas vocamus, nomine hoc populari & minus invidioſo contenti, fabularum ſuavitate præceptorum temperant acerbitatem: quæ ſane prima fuit & antiquiſſima philoſophandi ratio, ad ſimplicium hominum vitam & mores accommodata. Propterea quum vetus illa ſimplicitas diſcuti cœpta eſt, & quidam emunctæ naris in fabulas penitus inquirere voluerunt, obſcuritatem illam ægre ferentes, non ita velum abjecit philoſophia, ut ſine omni apparatu & ornamento myſteriorum ſe nudam populo exhiberet. Teſtantur id ſcripta Platonis, quæ multum ex poetica illa philoſophia retinuerunt. Inducit enim Plato Jovem aurigantem, & volucri vectum curru, exercitum deorum in undecim acies diſtributum, eorumdem convivia, Jovis ac Veneris nuptias, quo tempore furtim congreſſi Porus & Penia Amorem genuerunt. Audias in Phædone, ubi egregius ille philoſophus diſputat de animorum immortalitate, men-

tionem fieri Acherontis & Pyriphlegethontis: audias in decimo de Republica libro ſuavem de Clotho, Atropo, Lacheſi narrationem: alia præterea veterum poetarum figmenta, quæ non ab ipſo Platone excogitata, ſed ex libris illorum in hujus diſputationes derivata fuiſſe, minime dubium eſt. Judicio autem virorum ſapientiſſimorum, occulta illa & diſſimulationis plena in tradenda veritate reverentia, qua utebantur antiqui, pluris facienda eſt quam eorum qui poſtea ſecuti ſunt philoſophorum audacia & impudentia. Sublimium enim rerum & divinarum, quas propter imbecillitatem ſuam hominis natura contingere aut intueri nullo modo poteſt, ſpecioſior interpres fabula eſſe videtur quam oratio nuda & aperta. Deinde conſueverunt homines quæ in propatulo expoſita ſunt, ea minoris æſtimare, abſtruſa vero & ab oculorum arbitrio procul remota, tamquam auguſta & ſacra, revereri vehementer atque admirari. Amant enim res occultas, propterea quod eas ratione inveſtigare, & quærere conjectura poſſunt: quum vero aliquid invenerint diu quæſitum, opus quaſi ſuum ampleċtuntur & carum habent: quæ res incredibilem efficit voluptatem.

C A-

CAPUT VI.

Ariſtotelis quædam verba poſita in definitione Tragœdiæ conſiderantur. Quomodo Tragœdia miſericordiam & metum, ſimileſque perturbationes purget, accurate diſquiritur, & copioſe explicatur. Muſicæ vis ad concitandos animos & leniendos. Paulli Benii, Jamblichi Pythagoræi, & Franciſci Robortellii ſententiæ de hoc loco Ariſtotelis expoſitæ. Prudentius declaratus. Robortellii opinio defenſa. Miſericordia proprie dicta, noxia eſt: Meticuloſi homines, infelices etiam ſunt atque injuſti. Finem quo Tragœdia tenderet apud Græcos, odium fuiſſe adverſus tyrannos: eam iccirco tyrannicæ vitæ ſpeculum appellari poſſe. Peculiaris hæc & nova ſententia; noſtra eſt.

HIc vero locus eſt dicendi περὶ τῆς τῶν παθῶν καθάρσεως, nimirum de perturbationum ſive affectionum animi purgatione: quomodo ſcilicet poematis audiendis, legendis, ſpectandis, Tragœdiâ præcipue, mores auditorum, lectorum, ſpectatorum emendentur, animique ſanentur; id quod

 olim

olim exiſtimavit Ariſtoteles. Abſolvit philoſophus in libello ſuperſtite περὶ ποιητικῆς definitionem Tragœdiæ his verbis : Δι' ἐλέου καὶ φόβου περαίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν· id eſt, *Per miſericordiam & metum perturbationes hujuſmodi purgans*. Hæc verba propoſitum Tragœdiæ finem comprehendunt : docet enim Ariſtoteles, tragicum Drama excitandis miſericordia & metu, harum affectionum ope, ipſas, & hujuſcemodi alias perturbationes animis hominum penitus inſitas, tamquam pharmaco ſaluberrimo, corrigere, mitigare, atque purgare. Quæ tamen verba philoſophi (neque enim diſſimulabo) quum varie omnino a variis accipiantur & explicentur, crucem interpretibus fixerunt, multaſque perplexas & judicatu difficiles controverſias inter viros doctiſſimos exſuſcitarunt. Difficultas vero explicationis aucta propterea & exaggerata eſt, quod uberrima illa Ariſtotelis de perturbationum purgatione diſputatio, quæ, ut ipſe teſtatur libro de Republica 8. olim exſtabat ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς, cum duobus libris poſterioribus hujus operis injuria temporum amiſſis penitus interciderit : quemadmodum & illa omnia quæ de Comœdia & jocoſo lo-

loquendi genere idem præceperat. Unum igitur hoc tantummodo nobis reliquum eſt, ut, non ſecus ac illi qui lumine ſolis defecti, manibus iter prætentant, conjectura & divinatione utamur ad eruendum & intelligendum, quid ſibi voluerit Ariſtoteles his verbis addendis in Tragœdiæ definitione.

Sumit profecto tamquam certum & ab omnibus concedendum, eſſe quamdam κάθαρσιν παθημάτων, purgationem affectuum & perturbationum animi: deinde, hanc ſubſidio poeſeos, ac Tragœdiæ potiſſimum effici poſſe. Tum aperte decernit, purgari affectus per miſerationem & metum, neque omnes promiſcue, ſed tales, vel hujuſcemodi: ait enim, τοιούτων παθημάτων. Incipiamus a ſignificatione harum vocum, *purgo* ſeu καθαίρω, & *purgatio* ſeu κάθαρσις. *Purgare* igitur eſt a ſordibus liberare, item ſordes ipſas eluere: dicimus enim *purgare alvum*, *piſces*, *locum*, *forum*, *urbem*, nec non *purgare bilem*, *pituitam*, & alia ſimilia. A ſordibus, praviſque humoribus corporis translata fuit hæc vox ad vitia & turbidos motus animorum; quod videlicet ſicuti medici ſuccis quibuſdam & medicamentis affecta & impura corpora ſanare ſolent, detractis quæ nimia &

 vitio-

vitioſa ſunt, ita philoſophi, qui ſunt medici animorum, animos perturbationum æſtu inflatos ac depravatos, conſiliis, præceptis, exemplis, tamquam optimis pharmacis & ſaluberrimis, quieti, moderationi, tranquillitati reſtituant. Quo pertinent verſus Horatii Epiſtola 1. libri 1.

Fervet avaritiâ, miſeroque cupidine pectus?
Sunt verba & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poſſis, & magnam morbi deponere partem.

Hoc tamen diligenter animadverti debet; purgationem affectuum non eſſe illorum exſtinctionem atque internecionem; cujus ope ad ἀναλγησίαν illam & ἀπάθειαν tantopere a Stoicis jactatam, doloris nimirum & reliquarum perturbationum vacuitatem, perveniri poſſit; verum temperationem tantum & ſedationem: ut feri & indomiti affectus, qui homines tranſverſos agunt, & a recta rationis via ſecum abripiunt, cicures fiant, &, quaſi frenis injectis, in gyrum prudentiæ compellantur. Nam alioqui affectus a ſtirpe evellere, iiſque omnino carere, naturæ hominis adverſatur. Immo videre eſt nonnullos ita ad miſericordiam, metum, iram, pudorem, alium denique animi motum proclives, ut nullo ſtudio, nullis præ-

ceptis

ptis inſtitutiſque philoſophiæ haſce perturbationes ſatis regere poſſint, atque in officio continere. Nonnumquam enim ab iis ante occupantur quam cavère & providere queant: morbi enim ſemina in ipſis latent, quæ, tamquam ignis e ſilice, inflictu rerum externarum ſubito exſiſtere atque erumpere ſolent. Hoc pulchre admodum ſignificavit Lucretius lib. 3. his verſibus:

Sic hominum genus eſt. quamvis doctrina politos
Conſtituat pariter quoſdam, tamen illa relinquit
Naturæ quojuſque animi veſtigia prima.
Nec radicitus evelli mala poſſe putandum eſt,
Quin proclivius hic iras decurrat ad acres,
Ille metu citius paullo tentetur: at ille
Tertius accipiat quædam clementius æquo.
Inque aliis rebus multis differre neceſſe eſt
Naturas hominum varias, moreſque ſequaces.

Et ſane quum Horatius exclamat in Epiſtola ad Piſones (v. 301.) *O ego lævus, Qui purgor bilem ſub verni temporis horam;* id certe non vult, quicquid bilis habeat in corpore, ipſum ſibi detrahere, ac foras pellere: ſed tantummodo humorem illum καθαρτικοῖς medicamentis imminuere, ne ſi præter modum abundaverit, ſæviat atque effer-

veſcat, non ſine magno mentis & ſanitatis incommodo. Reſpondet igitur purgatio animorum & perturbationum purgationi corporum & morborum. Quæ purgatio niſi homine vivo per ſapientiæ ſtudium abſoluta eſſet, crediderunt veteres, eam fieri & perfici oportere apud inferos, ut Plato & Platonici præcipue litteris tradiderunt. Hanc opinionem pulcherrimis verſibus expoſuit Virgilius Æneidos lib. 6.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque: neque auras
Diſpiciunt clauſæ tenebris & carcere cæco.
Quin & ſupremo quum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes: penituſque neceſſe eſt
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto
InfeƈŧƧum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur manes: exinde per amplum

Mitti-

Mittimur Elyſium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies perfecto temporis orbe
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Ætherium ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.

Interea, dum homo viveret, magnam vim ad concitandas, & levandas etiam perturbationes animorum, in cantu & muſicis modis poſitam eſſe, antiqui ſibi perſuaſerunt. Scimus profecto, harmoniam Phrygiam id peculiare habuiſſe, ut audientes in furorem induceret: Doricæ contra, quæ graviſſima omnium erat maximeque ſedata, proprietatem fuiſſe, ut affectiones moveret quidem, at ſimul temperaret atque leniret. Ferunt, Pythagoram, philoſophum illum abſtinentia & probitate inſignem, quum forte fortuna quibuſdam adoleſcentibus vino madidis ac debacchantibus occurriſſet, juſſiſſe cantorem, qui ſaltationi aptum concentum inchoaverat, mutatis modis Doricum canere: quumque ille Pythagoræ obtemperaſſet, adoleſcentes nova cantus ratione ac modorum commutatione uſque adeo reſipuiſſe, ut abjectis coronis erubeſcentes, viri graviſſimi conſpectum ſtatim declinaverint, ac domum quiſque ſuam ſe receperint. Neque illud ſane diſſimile eſt quod in Sacris Litteris legimus

de

de Davide, ſanctiſſimo vate ac muſico, qui pulſanda cithara, Saulis regis animum vehementer perturbatum, & ſcelerum furiis agitatum, ſedare tantiſper ac mulcere ſolitus erat: ut enim fateamur, id a Deo Optimo Maximo Davidi, ob ejus virtutem atque innocentiam, datum fuiſſe, nihil tamen vetat, naturalem muſicorum modorum vim & facultatem conditori omnium rerum Deo ad illam ægritudinem levandam & obtundendam inſerviſſe. Porro, quum antiquis temporibus iidem eſſent Muſici qui Poetæ, ut non ſemel in Acroaſibus noſtris oſtendimus, & ideo poeſis cum arte muſica plurimum commercii, & cognationem quamdam habere videretur; iccirco putaverunt, etiam poeſi vim καθαρτικὴν ſeu purgativam ineſſe, qua tantopere muſica excelleret: nemo enim ignorat, haſce duas diſciplinas amice conjurare, & alteri alteram quaſi mutuas operas præbere. Atque hæc inter alias cauſſa eſt, cur Tragœdia ſi legatur tantummodo, ſine apparatu, concentu, hypocriſi, multum de facultate ſua amittere videatur. Verba enim a poeta compoſita, quamquam elegantia & ſuavia, non ita ſenſus intimos pervadunt, & ad animum uſque deſcendunt,

quem-

quemadmodum ſi muſicæ lepóre ac jucunditate condiantur: & rurſus harmonia, nullis verbis, nullis ſententiis ſubjectis; aures quidem titillat, & κίνησιν quamdam efficit, ſed inanem ac ſterilem: ſentiunt enim audientes ſe commoveri; verum quo tendat, quo ferat hujuſmodi motio, prorſus ignorant. Quod ſi concentui addatur ſententia aliqua παθητικὴ, mundo poetico, ut ita dixerim, ornata atque expolita, jam delinimentum illud ac pharmacum auditoribus *medullitus propinabitur* (utor Enniana locutione) quod non ſolum κίνησιν, ſed etiam κάθαρσιν ægrorum animorum perficiat.

Quare autem philoſophus, omiſſis aliis poeſeos generibus, purgationem hujuſmodi, Tragœdiæ potiſſimum tribuit? quæ tamen ἡδυσμένῳ λόγῳ, nempe oratione muſicis modis condíta, non ſemper utitur, ſed tantum in cantico & choro? An quod Tragœdia proponat exempla calamitatum alienarum, eaque in theatro ſpectanda exhibeat? hinc enim fieri videtur, ut ſpectatores a cogitatione malorum quæ ipſi patiuntur, ad breve tempus abducantur, dum aliorum infortunia conſiderant; atque ita recreentur, & miſeriarum levamentum ac-

ci-

cipiant. Propter hanc ſane cauſſam Timocles comicus, apud Athenæum libro 6. exiſtimavit, magnum commodum a Tragœdia afferri civitati. Nam ſi quis, ajebat, cum egeſtate conflictatur, huic valde proderit Telephum exſulem in Tragœdia contemplari, mendicum, & ſtipem oſtiatim rogantem. Inſanivit ne quiſpiam? aut per intervalla quædam delirio ac furore tentatur? is Oreſtem & Alcmæonem furentes aſpiciens, morbi ſui ſolatium capere poterit. Eodem pacto cæcitas Œdipodis; orbitas Niobes, debilitas Philoctetæ, ſenectus Œnei calamitoſa iiſdem infortuniis affectos juvare ac ſolari poterit. Hæc vera quidem ſunt, ſed minus tamen facere ad inſtitutam quæſtionem videntur Paullo Benio; neque enim miſericordia & metu, ſed uſu rationis potius atque prudentia efficitur, ut qui aliorum ærumnas audiunt & ſpectant, diſcant ſolari ſuas, & æquiori animo ferre. Præterea, ſi Benium audimus, non eſt hoc proprium Tragœdiæ, ſed exempli, docere homines; quomodo adverſam fortunam facilius pati poſſint: licet autem unicuique ad hiſtoriarum monumenta confugere, quæ abundant omnis generis exemplis, unde quilibet

libet remedia ſumat propriis malis levandis & mitigandis idonea. Sed, pace Benii loquar, exemplis quidem magna vis ineſt ad leniendas humanas perturbationes: non tamen exempla quocumque modo propoſita rem adeo difficilem æque præſtant. Intereſt enim plurimum, an hiſtorica vel etiam familiari narratione referantur, an vero, tamquam ſi in præſentia res gereretur, oculorum aſpectui ſubjiciantur. Hoc ſane longe validius & efficacius eſt: debetur autem non ſimplici narrationi, non hiſtoriæ, ſed Tragœdiæ potiſſimum. At neque conceſſerim Benio, confugere ad hiſtorias omnibus licere: eſt enim hoc illorum tantum qui litteras didicerunt, videlicet paucorum hominum, ſi cum illitteratis & rudibus comparentur: ad theatrum vero pergere, ibique ſedentem caſus humanos in Tragœdia contemplari, populi eſt univerſi, mercatorum, artificum, ruſticorum, muliercularum; ad quos omnes, fructus atque utilitas Tragœdiæ pervenit & propagatur. Timocles igitur ſapienter hoc poematis genus laudavit, ut civitati ſalubre atque frugiferum. Jamblichus tamen Pythagoræus in libro de Myſteriis Ægyptiorum cap. 11. rem propius

pius fortaſſe attigit, & cum Ariſtotelis doctrina conſenſit. Animadvertit enim, humanarum affectionum eam eſſe naturam, ut ſi comprimantur omnino & quaſi ſuffocentur, paullo poſt inſurgant acrius, non ſecus ac flamma vi compreſſa, riſuſque cohibitus: nactæ autem libertatem erumpendi & expandendi ſe, modice diſcurrant, & impetu ipſo delaſſentur, adeoque breviores fiant: poſtulant enim paſci aliquantum & expleri: quocirca, blandiendo tantum & ſuadendo, non vi adhibita, conquieſcere ſolent. Putat igitur Jamblichus, in ſpectaculis Comœdiarum ac Tragœdiarum homines, dum aliorum affectibus interſunt, ab iiſque normam & exemplum petunt, ſuis conſulere, atque illos in ordinem redigere, unde modeſtius agant, & quodammodo expientur atque purgentur. Exiſtimat etiam (ſed non ſine maximo errore ac pernicioſo, ut poſtea ſuo loco ſum oſtenſurus) turpibus audiendis nos a labe ac detrimento liberari poſſe quod colligitur ex factis inhoneſtis & flagitioſis: nova enim ea facta non accident homini qui ſæpius mentionem illorum fieri audiverit: quæ autem nova non ſunt, minus delectare atque animum capere conſue-

ve-

verunt. Hæc eſt Jamblichi ſententia de perturbationibus, doctrinæ Stoicorum plane oppoſita, qui ſtatuebant, poſſe hominem affectibus omnino ſpoliari, & ad perfectam conſtantiam animique tranquillitatem induſtria & ſtudio pervenire. Non tamen id Jamblichus explicavit, quod in præſentia quærimus, cur metui potiſſimum & miſericordiæ, hujuſmodi purgatio tribuenda ſit; vel, ut rectius loquar, an verum ſit, eam ex duobus memoratis affectibus proficiſci. Franciſcus Robortellius Utinenſis, vir probe doctus, in Commentariis ad librum Ariſtotelis de re poetica, opinatur, Tragœdiis audiendis & ſpectandis perturbationes haſce duas miſericordiam & metum detrahi atque purgari. Dum enim homines his recitationibus & ſpectaculis interſunt, multa cernunt & audiunt miſerabilia, dolenda, metuenda, eaque ad veritatem ipſam accedentia: propterea paullatim aſſueſcunt dolere, miſereri, timere. Quo fit ut quum aliquid ipſis humanitus evenerit, non tam vehementer doleant ac timeant: neceſſe enim omnino eſt, ut qui ob nullam calamitatem antea doluerit, magis deinde doleat ſi quid illi adverſi præter ſpem acciderit. Huic Robor-

bortellii ſententiæ valde ſuffragatur M. Tullius in calce Orationis pro Sex. Roſcio Amerino ; ita enim ibi loquitur de temporum Syllanorum crudelitate: *Hanc tollite ex civitate, judices, hanc pati nolite diutius in hac republica verſari, quæ non modo id habet in ſe mali, quod tot cives atrociſſime ſuſtulit, verum etiam hominibus leniſſimis ademit miſericordiam conſuetudine incommodorum. Nam quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus; etiam qui natura mitiſſimi ſumus, aſſiduitate moleſtiarum ſenſum omnem humanitatis ex animis amittimus.* Cicero tamen his verbis non loquitur de cædibus fictis & ſimulatis, quæ in Tragœdia ſpectari vel ſaltem audiri ſolent, ſed de veris facinoribus, quæ tunc a Syllana factione in republica quotidie committebantur: neque miſericordiæ purgationem laudat, ſed potius vituperat; hunc enim affectum vocat ſenſum humanitatis; ut iccirco qui miſericordiam depoſuerit, ex homine in feram mutatus videatur. Interea fatetur, quod ad Robortellii ſententiam facit, miſericordiam adimi conſuetudine incommodorum: &, illos qui atrocia facta ſæpenumero videant vel audiant, etiamſi natura mitiſſi-

Digitized by Google

tiſſimi fuerint, ſenſum omnem humanitatis ex animis amittere. Ob eam cauſſam Romani gladiatorum pugnas, & beſtiarum venationes in amphitheatris edebant, ad quæ ſpectacula populus omnis concurrebat, ne mulieribus & Veſtalibus virginibus quidem exceptis; ut nimirum cædibus aſſidue videndis forti atque invicto animo eſſent, neque ſanguinem aut vulnera deinceps horrerent. Agere enim & pati fortia Romanum erat, ut ait Mutius Scævola Porſenæ regi Etruſcorum apud T. Livium lib. 2. Hiſtoriarum. Hunc morem graviſſimis verbis deteſtatur Prudentius poeta Chriſtianus lib. 2. contra Symmachum præfectum urbi, maxime in Virginibus Veſtæ dicatis. Ejus verſus proferre non piget.

Inde ad conſeſſum caveæ pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentos
Congreſſus; morteſque & vulnera vendita paſtu
Spectatura ſacris oculis. ſedet illa verendis
Vittarum inſignis phaleris, fruiturque laniſtis.
O tenerum mitemque animum! conſurgit ad ictus:
Et quoties victor ferrum jugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectuſque jacentis
Virgo modeſta jubet converſo pollice rumpi:
Ne lateat pars ulla animæ vitalibus imis,

Altius impreſſo dum palpitat enſe ſecutor. In quibus Prudentii verſibus quid ea verba ſignificent, *& vulnera vendita paſtu*, obiter explicare mihi libet. Olim, qui egeſtate laborabant, & durum tamen ac ferox animi ingenium poſſidebant, ut haberent unde manducarent, auctorabant ſe ludo gladiatorio; cujus turpiſſimi auctoramenti verba erant, *Uri*, *Vinciri*, *Ferroque Necari*, teſte Seneca Epiſtola 37. Id Propertius Elegia 8. libri 4. ſic expreſſit:

Qui dabit immundæ venalia fata ſaginæ. nempe ad laniſtam (erat hic magiſter ludi gladiatorii) in ſaginam ſe conjiciet. *Fata* igitur *data venalia ſaginæ*, ut loquitur Propertius, *mortes & vulnera vendita paſtu*, quod ait Prudentius, unum & idem ſunt. *Sagina* porro a Propertio vocatur immunda, quoniam ultimam cœnam gladiatorum, quæ illis ante pugnam apponebatur, *Miſcellanea* dicebant. Origo nominis ea fuit, quod gladiatores poſtero die pugnaturi cibos omnes appoſitos in unum catinum miſcerent, atque ita manducarent. Id teſtatur Scholiaſtes vetus Juvenalis ad Satyram 11. Nunc ad propoſitum revertamur.

Paullus Benius in allata atque explicata opi-

opinione Robortellii non acquieſcit; propterea quod Robortellius a purgatione commiſerationis ac timoris, de quibus præcipue agendum erat, totus ad dolorem tranſiverit. Hæc tamen ſatis gravis & idonea cauſſa non fuit, aut ego valde fallor, cur Benius Robortellii ſententiam reprehenderet: miſericordia enim eſt λύπη, ſeu ſpecies doloris. Qui enim proſpera fortuna utuntur, & boni tamen viri ſunt, ob duo potiſſimum dolere atque angi ſolent; ſcilicet, quod aliorum calamitates videant, & propterea tangantur miſericordia: deinde, quod fortunæ levitatem, & caſuum humanorum viciſſitudinem reputantes, non ſemper ſibi pulchre atque optime futurum ſuſpicentur; ex qua ſuſpicione oritur timor, affectio moleſtiſſima, & quæ ſola divitum ac potentium felicitatem turbare funditus & corrumpere poſſit. Enimvero, miſericordiam ſpeciem eſſe doloris, exiſtimavit etiam Virgilius, cujus eſt verſus ille in libro 2. Georgicon, de homine agricola, ab urbanis negotiis remotiſſimo:

Nec doluit miſerans inopem, aut invidit habenti.

Quemadmodum enim familiaris & proprius malorum affectus invidia eſt; ſiquidem

Invidus alterius macreſcit rebus opimis;

G 2 ita

ita boni miſeratione plerumque tangi & commoveri ſolent. Deinde Benius a Robortellii ſententia diſcedit, quod ipſe arbitretur, non expedire, miſericordiam & metum depelli ab animis hominum, quum ſint utiles affectiones, immo ad virtutem ſervandam, & vitia declinanda neceſſariæ. Sed fortaſſe manſuetudo quidem & lenitas in virtutibus, vel ſaltem in affectibus utilibus, numerari debent, non item miſericordia proprie dicta. Eſt enim hæc, ſi philoſophos audimus, vitium puſilli animi, qui ad aſpectum alienorum malorum contrahitur & frangitur: nihil autem vetat, improbos etiam, veræque virtutis omnino expertes miſericordia commoveri. Sane videmus aniculas & mulierculas quæ ſceleratorum hominum ſuppliciis & lacrimis moveantur. Hæ nimirum, ſi poſſent, carcerem effringerent, cruces evellerent, neque lictores neque carnifices eſſe in civitate paterentur. Miſericordia igitur proprie dicta inconſiderata quædam affectio & ἄλογος vocari poteſt, quum fortunæ tantummodo, non etiam cauſſæ ac meritorum rationem habeat. Contra, manſuetudo, lenitas, clementia non quibuſcumque miſeris parcunt & ſubveniunt, ſed iis fere quos injuria vident calamitati-

bus

bus afflictos. Miſericordiam Stoici definiunt; ægritudinem animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem: vel, rectius, triſtitiam ex alienis malis contractam, quæ accidere immerentibus videantur. Ægritudo autem, quæ morbus animi eſt, in ſapientem virum non cadit: hunc enim ſerena mens decet, non obnubila, & perturbationibus agitata. Quum igitur hominis nihil æque proprium ſit ac magnus animus, nihil autem magnitudini animi perinde repugnet ac metus & mæror: quæ duo potiſſimum contrahunt mentem, confundunt, & conſilio ſpoliant; iccirco dicendum eſt, homini dandam eſſe operam, ut miſericordiam abjiciat, quam ſcilicet metus & mæror comitantur. Quod ſi ſapienti & conſtanti viro etiam in ſuis calamitatibus retinenda eſt mentis tranquillitas, & eadem ſemper facies ſervanda: id autem facere nullo modo poſſet ſi triſtitiam ſuſciperet, quæ prudentiæ ac providentiæ inimica eſt: quanto minus ille in alienis ærumnis perturbari debet! Non igitur miſerebitur ſapiens; id enim ſine miſeria eſſe nequit: ceterum omnia illa miſeris officia præſtabit quæ miſericordes præſtare ſolent; alio tamen animo; videlicet ſereno & quieto, non

triſti ac perturbato. Lacrimantibus iccirco ſubveniet, ut lacrimas abſtergant: ipſe tamen a fletu cavebit ac temperabit. Naufrago manum porriget, exſulem hoſpitio recipiet, egenti ſtipem dabit, non ſuperbo & faſtidioſo vultu, illum contemnens atque aſpernatus cui adjumento eſt, ut multi ſolent miſericordes; verum tamquam homo homini, & ex communi, non ex proprio. In puniendis etiam ſontibus detrahet aliquid de pœnarum atrocitate, ſi non homini, at humanitati ignoſcens, & noxiorum etiam cadavera ſepeliri jubebit. Illud poſtremo Terentianum profitebitur:

Homo ſum: humani a me nihil alienum puto. Diſtat igitur plurimum miſericordia proprie dicta, hoc eſt cum triſtitia atque ægritudine animi conjuncta, a lenitate, humanitate, manſuetudine, clementia. Hæc enim bona & laudabilia ſunt, illa vero vitioſum aliquid in ſe continet, neque ſemper utilis reipublicæ eſt, ſed haud raro pernicioſa. Ea igitur purganda eſt, nimirum aut omnino deponenda, ſi fieri poteſt, aut ſi perfectam illam animi tranquillitatem quam Stoici nimium fortaſſe jactabant, hominibus aſſequi non licet, temperanda certe atque extenuanda.

da. Non eſt autem quod miremur, de miſericordia ita ſtatuere philoſophos, quum tamen Sacræ Litteræ miſericordiam tribuant Deo Optimo Maximo, eamque immenſam, & nullis finibus circumſcriptam. Hæc enim philoſophorum doctrina Sacris Litteris non adverſatur, immo cum iis mirifice conſentit. Deus enim Optimus Maximus ita miſericors eſt, ut miſeris ope ſua præſto ſit, eoſque a calamitatibus liberet quibus premuntur; ſupplicibus præterea quos delictorum pœnitet, clementer ignoſcat: non tamen triſtitiam ullam vel ægritudinem ex hac benignitate ſua contrahat, quæ in beatam illam naturam cadere nulla ratione poſſunt. Miſericordia igitur quæ Deo tribuitur, ab ea quæ hominum vulgus afficere ſolet, quam longiſſime diſtat, etiamſi uno atque eodem nomine appelletur: & iccirco Deo magis accedet vir ſapiens, qui tranquillus & hilaris miſeros adjuvat, quam e plebe homo id faciens dejecto animo & perturbato. Diximus de miſericordia: jam de metu nonnulla dicamus.

Metus igitur, quemadmodum eum definit Ariſtoteles libro 2. Rhetoricorum, *eſt ægritudo quædam vel perturbatio ex opinione im-*

pendentis mali, quod aut interitum nobis, aut dolorem afferre poſſit. Hunc etiam affectum, hominis vulgaris eſſe, puſillo animo, neque doctrina ſatis exculti, ea indicant quæ ſtatim ſequuntur eodem Ariſtotelis loco. *Neque enim*, ait philoſophus, *omnia mala timentur, ut ne quis injuſtus fiat, vel hebeti tardoque ingenio: ſed ea tantum quæ vel magnos dolores, vel interitum afferre poſſunt.* Quid igitur, ſi hæc vera ſunt, ſapientiæ magis inimicum, quam timor & metus? Profecto, mala graviſſima nihili æſtimare, neque ſolum non reformidare ac refugere, ſed etiam ultro appetere atque eligere, ſtoliditatis & dementiæ plenum eſt: graviſſimum autem malum eſt iniquitas & vitium, quæ nobiliorem hominis partem depravant: proximum autem huic inſcitia, error, falſæ opiniones: metus igitur, qui circa hæc verſari non ſolet, ſed circa leviora mala, quæ ſi cum his comparentur, vix mala dici & haberi poſſunt, affectus eſt ſapientia & virtute alieniſſimus. Neceſſe porro eſt, meticuloſum hominem injuſtum etiam eſſe. Caret enim fortitudine, qua tyrannis & potentibus iniqua jubentibus vel rogantibus obſiſtat: minas illorum pavet, inimicitias

plu-

plurimi facit; contumelias, verbera, exſilium, bonorum publicationem, cruciatum, mortem poſtremo formidat: qua mollitie animi atque infirmitate fit, ut ab omni officio deſiſtere, ac ſcelus omne ſuſcipere ſit paratus, ad hæc nimirum declinanda atque effugienda. Homini timido fruſtra illud Satyrici occinas:

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſſas.

Neque igitur miles bonus, neque judex æquus, neque idoneus paterfamilias eſſe poterit: uxorem, liberos, amicos, vicinos, cives denique ſuos non tuebitur, neque ab iis injuriam propulſabit, religionem ipſam prodet, corpori ſuo, agello, pecuniæ ſemper cavens, ne quid ea detrimenti capiant, & leporis vitam agens, ut in Græco proverbio eſt. Propterea timori cum honeſtate animique magnitudine perpetua lis eſt. Vir enim forti animo atque magno, ut ait Horatius Ode 9. libri 4.

Duramque callet pauperiem pati,
Pejuſque leto flagitium timet,
Non ille pro caris amicis,
Aut patria timidus perire.

Apud eumdem vero poetam Epiſtola 16. libri

libri primi ὑποτύπωσις exſtat impavidi hominis & invicti, mortalia omnia præ virtute deſpicientis:

Vir bonus & ſapiens audebit dicere, Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre patique
Indignum coges? Adimam bona. Nempe pecus, rem,
Lectos, argentum: tollas licet. In manicis &
Compedibus ſævo te ſub cuſtode tenebo.
Ipſe Deus ſimul atque volam me ſolvet. opinor,
Hoc ſentit; Moriar. Mors ultima linea rerum eſt.

Neque ſolum injuſtos & officii deſertores metus efficit, ſed etiam miſeros & calamitoſos. Primum quia, quum ſola virtus beatos efficere poſſit, neceſſario in miſeriam incidit qui virtuti nuntium remiſit: deinde quia ſecundæ res præſentes parum admodum illos juvant qui ſemper impendentium malorum timore cruciantur. Operæ pretium eſt audire ſæpius memoratum Horatium Ode 1. libri 3.

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducet - - - - -

His verſibus poeta reſpicit ad hiſtoriam de Dio-

Dionyſio Syracuſarum tyranno; qui Damocli familiari ſuo conceptis verbis dejerabat, ſe beatum non eſſe, propterea quod in ſumma potentia, bonorumque omnium abundantia quæ vulgus magno æſtimat, domeſticorum inſidias, civium odium ac ſeditiones, gladios, venena, ſubitam denique rerum commutationem dies noctesque formidaret: non aliter ac ſi quis menſæ lautiſſimæ aſſidens, gladio ſupra caput e ſæta equina ſuſpenſo, cibos & pocula vix attingere audeat, quod eum jam jam caſurum ſemper cogitet, ſibique cervices præciſurum.

Quanta igitur veterum Græcorum, qui civitates & reſpublicas in iis regionibus condiderunt, eaſque optimis legibus inſtituerunt, ſapientia fuerit, vel ex hoc intelligi poteſt, quod ſpectacula ipſa ad laborum & curarum laxamentum inventa, moribus etiam utilia eſſe voluerunt, Tragœdiam præcipue: quum viderent, populum eſſe φιλοθεάμονα, nempe horum ſpectaculorum ſummopere avidum atque ſtudioſum. Nihil porro magis utile ac ſalubre civibus, eorumque libertati exiſtimaverunt, quam ſi eos docuiſſent, magno & invicto animo eſſe, ad pericula, cædes, vulnera non expalleſcere,

mores

mores tyrannorum odiſſe, fortunas non admirari, nihil denique metuere præter vitium, ſcelus, flagitium, atque ex iis ortam ignominiam & ſervitutem. Iccirco Tragœdiam tyrannicæ vitæ ſpeculum eſſe ſtatuerunt, ut qui ad eam ſpectandam conveniſſent, nihil tyrannis vel apud deos immortales, vel apud genus humanum tuti eſſe, facile cognoſcere poſſent: & ſimul in quæ nefaria ſcelera prolabi ſoliti ſint, opum ac potentiæ quærendæ & conſervandæ gratia: quam inſatiabilem crudelitatem exerceant, ut quum civium ſanguine expleri nequeant, in amicos etiam, cognatos, fratres denique, parentes ipſos ac liberos, gladios & ſicas diſtringant: quanta ſuperbia, libidine, avaritia æſtuent: quantas cum bonis, fortibus, temperantibus inimicitias gerant; ut tamquam incendia, peſtilentiæ, vaſtitates, publico generis humani malo nati atque educati eſſe videantur. Quæ quum ita ſint, miſſas propterea faciam varias & diſcrepantes Ludovici Caſtelvetrii & aliorum interpretum opiniones de hac Ariſtotelea definitione Tragœdiæ, & ab illarum enumeratione atque explicatione abſtinebo. His enim auditis, adoleſcen-

tes

tes diſcendi cupidi ex incertis fiunt incertiores: & fortaſſe illarum nulla ſcopum & veritatem attingit. Quid ego ipſe de tota hac re ſentiendum exiſtimem, declarabo.

Tragœdia Græcorum inventum eſt. Græci μοναρχίας καὶ τυραννίδος inimici erant: δημοκρατίαν ἢ ἀριστοκρατίαν potius amabant, nempe ſtatum popularem, vel optimatium gubernationem. Hujuſmodi rerumpublicarum corruptores, venenum, peſtis ac pernicies tyranni ſunt. Oportebat ergo, ut in civitatibus Græciæ populus vel optimates, ad quos pertinebat communi ſaluti ac felicitati conſulere, maxime poſtquam Philippus Macedoniæ rex, Magni Alexandri pater, libertati Græcorum inſidiari cœpit, odio tyrannorum tempeſtive imbuerentur: quod odium facile admodum conciliant ſcelera illorum audita, lecta, ſed præcipue in Tragœdiis ante oculos poſita. Quamobrem Tragœdia, poema ad populum emendandum, boniſque moribus & civilibus expoliendum a legum latoribus & philoſophis comparatum, δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου, id eſt miniſterio miſericordiæ ac metus, horum & ſimilium affectuum purgationem efficiebat, quemadmodum docemur ab Ariſtotele. Sed oportet

ani-

animadvertere, ἔλεον καὶ φόβον apud philoſophum eo loco, res ipſas quæ a tragicis poetis tractantur, ſuapte natura miſerabiles ac terribiles, mea quidem ſententia, ſignificare. Spectatores enim, quum viderent, atroces calamitates viris potentia atque imperio per ſuperbiam & libidinem abutentibus plerumque accidere, deorumque providentia fieri ne iis peccantibus impune ſit, miſericordiam purgabant ſeu moderabantur, eam intra juſtitiæ limites continentes. Malorum ſiquidem & ſceleratorum pœnæ debent æquo animo ſpectari, neque juſtos homines ulla ægritudine afficere: contra, illorum miſereri oportet quos virtute atque innocentia præſtantes, injuria tyranni perſequuntur & vexant; neque tamen ſpem abjicere, ut dii aliquando eos liberaturi vel ulturi ſint. Hic porro eſt rectus & ſapiens uſus miſericordiæ. Quum viderent pariter, in ipſos reges ac tyrannos imperium eſſe Jovis, ut loquitur Flaccus Ode 1. libri 3. & raro antecedentem ſceleſtum deſeri a pœna, quamquam ea tarde incedat, ut quaſi clauda videatur; quod idem ait alio loco; metum præterea purgabant ac temperabant, ut deinceps non tyrannos atque illorum potentiam

tiam

tiam timerent, quæ tam fragilis & fluxa eſſet, ac ſæpius paucarum horarum ſpatio evaneſceret: ſed potius deos rectores orbis terrarum, ſcelerum vindices, malorum inimicos, bonorum defenſores: itemque culpam, flagitium, ſcelus, quæ homines deorum vindictæ obnoxios efficiunt, eoſdemque in ampliſſimo dignitatis gradu collocatos & pulchre ſtantes, tamquam repentino turbine, ad ſordes, ignominiam, miſerias, calamitates dejicere ſolent. Sic regitur porro ac temperatur metus. Populus igitur, qui monſtrantibus philoſophis ad Tragœdiam ſpectandam frequens convenerat ut doceretur, ea demum acta doctus a theatro diſcedebat; tantumque aberat ut caſus atroces & miſerabiles in ſcena propoſiti ſpectatorum animos frangerent ac debilitarent, ut potius domeſtico aliquo infortunio demiſſos & oppreſſos erigerent atque excitarent. Hujus rei, præter ceteros, teſtem locupletem habemus M. Antoninum imperatorem philoſophum, cujus verba ſunt libro 11. *Eorum quæ ad ſe ipſum*, τμήματι 6. Πρῶτον αἱ τραγῳδίαι, παρήχθησαν ὑπομνηστικαὶ τῶν συμβαινόντων, καὶ ὅτι ταῦτα οὕτω πέφυκαι γίνεσθαι, καὶ ὅτι οἷς ἐπὶ τῆς σκηνῆς ψυχαγωγεῖσθε, τούτοις μὴ ἄχθεσθε ἐπὶ τῆς

μείζο-

μείζονος σκηνῆς· id eſt: *Primo Tragœdiæ inventæ ſunt quæ caſuum & eventuum homines commonefacerent, quo & iſta ſic fieri nata monerentur; nec quibus in ſcena oblectaremini, ea in ſcena majori gravatim ſuſtineretis*. Majorem ſcenam vocat Antoninus vitam, forum, civitatem, publicam rem privatamque. Ita magiſtratus pacis tempore civibus magis morigeris, imperatores in bello militibus fortioribus, & ad ſubeunda pro patriæ ſalute pericula paratioribus utebantur. Ab hac populari Tragœdiæ ſchola profectos crediderim Athenienſes illos Harmodium & Ariſtogitonem τυραννοκτόνους; qui quum mirifice inter ſe amarent, & eorum alter ab Hipparcho tyranno Piſiſtrati filio atroci injuria affectus fuiſſet, conjuratione facta Hipparchum occiderunt, atque ita civitatem dominatu regio liberaverunt, ob id egregium facinus etiam ſtatuas primi omnium promeriti. Neque ſolum iſtos, ut opinor, ad præclara quæque ſuſcipienda Tragœdia erudivit, ſed præterea quotcumque factioſis ac turbulentis hominibus in civitate fortiter obſtiterunt, vel Perſarum regibus potentiſſimis, quamquam militum numero & navalibus copiis longe impares, terra marique

mor-

mortiferas plagas & ſempiternam turpitudinem inflixerunt. Magnæ profecto utilitates illis temporibus in rempublicam univerſam ex Tragœdiæ fonte manabant. Hæc potiſſimum cauſſa fuit, quamobrem tragici poetæ, qui palmam ferre in poematum certaminibus vellent, huc ſtudium omne atque ingenii vires conferrent, ut quam maxime populo prodeſſent. Omnes propterea ineptias a Tragœdiæ finibus ablegaverunt; omnes orationis floſculos, cincinnos, delicias, argutias, quibus pueriles & otioſi animi delectantur, de induſtria vitaverunt, ſevero & graviſſimo ſtilo uſi, qui rerum veritatem exprimeret, argumentorumque ac perſonarum dignitatem deceret. Hinc Sophoclis, poetæ atque imperatoris, magnificum illud, & tamen ſobrium ac temperatum dicendi genus: hinc Euripidis crebræ, moratæ, utiles, atque ex penu philoſophica depromtæ ſententiæ: hauſerat enim Euripides ab Anaxagora phyſico ſapientiam non vulgarem, atque ex condiſcipulatu Socratis & familiaritate multum profecerat. Explicatum eſt, niſi fallor, quomodo accipienda ſint verba illa in definitione Tragœdiæ ab Ariſtotele propoſita, δι' ἐλέυ ϗ φόβυ, *per miſericordiam*

H &

& metum: ſcilicet, per eos eventus miſerabiles & formidoloſos in ſcena ſpectatos, qui ſuapte natura miſericordiam & metum excitare quidem ſolent, ſed quum jure ac merito ſceleſtis hominibus ac tyrannis accidant, immerito autem probis ac piis, eo pacto ſpectatores afficiunt, ut non ſine ductu rationis miſereantur & metuant, alioſque etiam motus & habitus animorum qui a timore & miſericordia pendent, regant & moderentur. Nemo igitur Platonicæ diſciplinæ nimis addictus, tamquam probrum Ariſtoteli objiciat, eum docuiſſe affectiones irritare ac exulcerare, ut hunc deinde motum purgatio conſequatur: hoc autem eſſe clavum clavo pellere, ut proverbio fertur, adeoque *periculoſæ plenum opus aleæ:* non enim hoc Ariſtoteles, opinor, voluit, ſed illud potius quod hactenus enucleare conatus fui.

CA-

CAPUT VII.

Quod poematum genus in Platonis republica locum habeat. Imitatio pravorum civitatibus noxia. Chriſtianis hominibus neque Tragœdia, neque uſitata Comœdia, neque Paſtoralibus Fabulis opus eſſe. Cur Eccleſiæ Patres tantopere Dramata improbarent. Hodiernæ Italorum Comœdiæ futiles atque ineptæ. Virtutem in iis derideri, vitia proponi & ſuaderi. Muſicæ & ſaltationis lenocinium quantam perniciem moribus afferat. Corporeæ voluptatis detrimenta. Comicos poetas levioribus tantum vitiis iratos, gravioribus propitios videri. Boſſuetii de hac re judicium. Urbanitati ac morum elegantiæ hoc ſæculo unice ſtuderi. Quomodo poetæ amorum licentiam in Comœdiis, atque improbitatem excuſent. Periculum faciendum, utrum Comœdia novo more ſcribi poſſit, quæ caſtior atque utilior futura ſit.

ATQUE hæc quidem pertinent ad Ariſtoteleam Tragœdiæ definitionem explicandam, Græcorumque legumlatorum & magiſtratuum conſuetudinem commemoran-

dam, qui Tragœdiam & reliqua Dramatum genera in civitates & reſpublicas ab ipſis inſtitutas ac temperatas recipienda eſſe exiſtimaverunt, tamquam rectæ adoleſcentium educationi, boniſque civium moribus utilia & profutura: modumque ac rationem auctoribus horum poematum præſcripſerunt, quem ii ſervare, neque umquam excedere deberent. Nam veteres illæ reſpublicæ ac civitates, ut aliæ fere omnes etiam hodiernæ, conſtabant ex hominibus inter vitium ac virtutem poſitis, neque examuſſim perfectis atque ſapientibus: quos iccirco non ſolum honeſtorum, ſed etiam turpium accurata imitatione ad ſtudium virtutis, fugamque vitiorum erudire volebant viri gubernandi periti. Verum ſi nova quædam reſpublica exſiſteret, qualis optari & mente concipi non difficile poteſt, videri & haberi fortaſſe non poteſt, cujus incolæ ſint ſoli ſapientes, aut ſaltem ſapientiæ ſtudioſi; docemur a Platone, qui reipublicæ hujuſmodi formam & animo finxit, & ſcriptis delineavit, nullum in ea locum fore pravorum imitationi, illorum ſcilicet quos perturbationum impetus tranſverſos agit, & a recta veræ virtutis via ſecum abducit. Propter-

pterea cuſtodes hujus optimæ ſanctiſſimæque civitatis dabunt operam ſedulo, ut quibus imitandi provincia commiſſa fuerit, ad imbecillam ætatem formandam inſtituendamque, ii fortes tantum viros, temperantes, integros, incorruptos, liberales, juſtos, & reliquis virtutibus ornatos imitentur, eorumque præclara facinora carminibus includant, & populo audienda proponant. Nihil igitur pravum, nihil turpe, nihil quod a rationis norma diſcedat, iis imitari licebit: ne ſe ipſi primum, deinde auditores ac ſpectatores, hujuſmodi minus honeſta imitatione depravent. Solet enim hoc evenire facillime, ut imitatores vitia illorum paullatim contrahant in quorum imitatione occupati ſunt. Non ſinent igitur memorati cuſtodes, ad eas ineptias cives ſuos confugere, ut ii quos eſſe viros oportet, mulierem imitentur, ſeu vetulam ſeu ætate florentem, quæ marito convicietur; vel de diis indigna proferat; vel ob formam, divitias, & alia fragilia bona ſuperbe ac ſtolide ferociat: aut ſi forte in calamitates inciderit, ejulatum tollat, ſive morbo aliquo corporis, ſive amore, ſive puerperii doloribus detineatur. Neque veniam dabunt imitandi ſervos &

ancillas, qui quæve agant ſervilia & indecora. Neque viros ingenuos quidem, ſed propter ignaviam, ſtultitiam, ceteraſque animi labes, muliercularum & mancipiorum quam ſimillimos: qui nempe rixentur de rebus interdum minimi pretii, jurgia & contumelias jactent, modo ebrii modo jejuni obſcœna loquantur, & reliqua peccent quæ homines inſipientes & a philoſophia penitus imparati peccare ſolent. Sed neque inſanos imitari licebit in ea civitate, neque in ſordidis artibus occupatos. Huc igitur omnis imitatio conferenda erit, ut probitatis imaginem quam accuratiſſime ſermonibus ſuis imitatores effingant: ſi quid autem turpe & rectæ rationi minus conſentaneum narrandum fuerit, id paucis verbis, & non ſine aliqua ſignificatione pudoris, faciant; ut, ſi poſſent, eam rem præterire atque obnubere ſilentio, quam deſcribere aut enuntiare malle videantur. Excludentur itaque ab hac civitate tragici omnes & comici poetæ, qui mores multiplices, atque adeo malos inducunt, quum a nullius hominis imitatione abſtineant, & ſæpe ingenuis adoleſcentibus vitiorum exempla proponant, quæ mentibus pertinacius hærent quam exempla virtutum.

Ne-

Neque ipſi epici admittentur, qui narrationem ſæpius interrumpunt, & alias perſonas loquentes inducunt ſive bonas ſive malas : numquam enim ea perſona abjicienda erit quam nobis impoſuit ipſa natura, quæ nos ad virtutem, ad honeſtatem, ad recti ſtudium & amorem genuit ; ſi homines, non hominum ſimulacra eſſe volumus.

Porro, quod paullo ante dixeram, rempublicam e ſapientibus tantum vel philoſophis conſtantem, fingi & optari quidem poſſe, haberi & videri fortaſſe non poſſe, id uberiori eget explicatione. Civitates ac reſpublicæ humano conſilio atque ope fundatæ, quamquam optimis legibus ac ſaluberrimis temperentur, non tamen de ſanctitate illa morumque integritate ſollicitæ ſunt quæ cives ab omni vitiorum labe puros & immunes præſtet, ut non ſolum ab omni factorum dictorumque turpitudine diligenter ſibi caveant, ſed cogitationibus etiam ſuis modum imponant, ea ſemper animo volventes quæ gravia, quæ proba, quæ recta, quæ pudica ſint : abſolutam præterea perfectamque virtutem omni ſtudio ſectentur. Nihil igitur mirum ſi hujuſmodi poematis faveant, quæ perturbationes moreſque cor-

ruptos imitentur: populus enim ad vitia præceps his aliquantum detinetur atque mollitur, ne ad crimina & ſcelera ſocietati magis noxia mentem animi convertat. Eſt autem una Reſpublica non ab hominibus condita, ſed a CHRISTO, Deo, Domino, ac Servatore noſtro, inſtituta, *quæ non habeat maculam, neque rugam, neque aliquid hujuſmodi*, (verba ſunt D. Paulli ex capite 5. Epiſtolæ ad Epheſios) *ſed ſit ſancta & immaculata*, quam Eccleſiam Catholicam appellamus. Hujus reipublicæ nulli civi, nulli nempe Chriſtiano, per ſanctiſſimas leges ab eodem Domino latas, turpe aliquid vel pravum facere, loqui, cogitare, comminiſci, ſuadere, aut denique laudare licet, ac multo quidem minus quam in Platonis republica: ea enim, ut notum, multis & enormibus vitiis non carebat, cujuſmodi eſt illud capitale de uxorum & liberorum communione. Sumus omnes qui hanc rempublicam conſtituimus, auctore D. Petro Epiſtola 2. capite 2. *genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*: neque nos profanarum gentium pravæ conſuetudines decere poſſunt, neque ulla turpium & obſcœnarum actionum imitatione indigemus; quarum

rum potius imagines ita ex animis noſtris delere nos oportet, ut ne tenue quidem illarum veſtigium reliquum ſit. Minus igitur Chriſtianis Tragœdia opus, quæ tyrannorum impietatem, crudelitatem, avaritiam, libidinem commemoret ac ſpectandam exhibeat; quæ tranquillos animos propoſita rerum atrocitate perturbet; quæ lacrimis, lamentis, ejulatu, luctu, terrore omnia miſceat; inanibus curis & affectibus implicet auditores, eoſdemque falſis & impiis ſententiis haud raro in errorem inducat. Hæc tamen tolerari ac retineri fortaſſe poſſit, tametſi eas utilitates hoc tempore non pariat quas veteres Græci Romanique ex illa ſe colligere exiſtimabant: pauci enim admodum ſunt qui Tragœdia impenſius delectentur, ac voluptatem ex fletu ac mærore quærant; ut icciroo bonis moribus a Tragœdia vel nullum, vel minimum certe periculum immineat: niſi forte, ut poetæ Galli eam ſcribere conſueverunt, naturam ipſius penitus immutantes, amoribus & mulierum illecebris tota ſcateat. Comœdia potius vulgaris, & Fabulæ quas Paſtorales & Nemorenſes hodie appellare ſolemus, genus poematis partim ab Idylliis & Eclo-

gis,

gis, partim a Satyrico Græcorum Dramate derivatum, merito apud probos & frugi homines infamia laborant. Hæc enim Dramata, ob nequitiam argumentorum, ſententiarum laſciviam, locutionis corruptelam, jocorum frigus, hiſtrionum improbitatem, incredibile eſt quantum ingeniis & moribus noceant, quam magnam animis adoleſcentium & puellarum peſtem ac perniciem afferant, quam virtutis nervos elidant, hominemque, animal ad ſeria natum, futilitate ac levitate ſua impleant. Nihil in præſentia dicam de vetere illa Græcorum Comœdia, quæ ſummos etiam in republica viros, graviſſimoſque philoſophos maledictis nominatim appetebat, hominum inimica, vitiorum amica: quæ ab obſcœnis verbis ac ſententiis non abſtinebat. id in Ariſtophane etiamnum videre poſſumus. Nihil de Plauto; qui poeta quamvis a M. Tullio Officiorum libro 1. dicatur præſtitiſſe eleganti, urbano, ingenioſo, faceto jocandi genere; ſæpius tamen in alterum illud incidiſſe videtur, illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. Ejus profecto jocos, ut ſcurriles, frigidos, e trivio petitos, ita notavit Horatius in Epiſtola ad Piſones (v. 270.)

At

At noſtri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere ſales; nimium patienter utrumque,
Ne dicam ſtulte, mirati: ſi modo ego & vos
Scimus inurbanum lepido ſeponere dicto,
Legitimumque ſonum digitis callemus & aure.

Quod judicium de tanto ſcriptore non Horatii ſolius, ſed totius ætatis Auguſti fuiſſe, ſuſpicatur Franciſcus Vavaſſor e Societate JESU, vir egregius, in libello De Ludicra Dictione. Illud enim ſæculum, ſi quod aliud, eruditiſſimum fuit, omnique lepóre ac urbanitate refertum; ut ex vetuſtis monumentis facile intelligere poſſumus. His prætermiſſis, in eo potius immorabor, non temere antiquos Eccleſiæ Patres Comœdiis ac Tragœdiis illorum temporum infamiæ notam inuſſiſſe. Neque propter impietatem ſolum & ſuperſtitionem, hujuſmodi poemata & ſpectacula reprehendebant, quod theatra Baccho & Veneri dicata eſſent, ut qui ad ea convenirent, falſis numinibus cultum atque honorem tribuere viderentur: ſed etiam propter morum corruptelam, rerumque turpium ac flagitiorum doctrinam, quam ſpectatores e fabulis, præcipue comicis, hauriebant. Lactantii verba recitabo ex libro 6. Divinarum Inſtitutionum cap. 26. *In*

ſcenis

ſcenis quoque , ait , *neſcio an ſit corruptela vitioſior. Nam & comicæ fabulæ de ſtupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum; & quo magis ſunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eo magis ſententiarum elegantiâ perſuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ verſus numeroſi & ornati. Item tragicæ hiſtoriæ ſubjiciunt oculis parricidia & inceſta regum malorum, & cothurnata ſcelera demonſtrant. Hiſtrionum quoque impudiciſſimi motus quid aliud niſi libidines docent & inſtigant? quorum enervata corpora, & in muliebrem inceſſum habitumque mollita, impudicas feminas inhoneſtis geſtibus mentiuntur.* E Græcis Patribus, D. Joannes Chryſoſtomus præcipue, in theatra, ut & ludos ſcenicos, & Circenſes, & Hippodromos, propter eamdem cauſſam vehementer invehi ac declamare ſolet. De hac re conſulenda ejus Homilia 69. in Evangelium Matthæi cap. 21. item 62. ad Populum Antiochenum; denique alia in Pſalmum 50.

Nunc illud conſiderandum eſt, utrum horum temporum Comœdia, quo pacto a Gallis & Italis excolitur, bonis & homine Chriſtiano dignis moribus officiat, necne. De Italorum Comœdiis facillimum eſt judi-

di-

dicare. Tot enim futilibus, ineptis, inurbanis, obſcœnis, frigidis jocis abundant, ut nihil aliud propoſitum habere videantur niſi cachinnum pueris & mulierculis, aut hominum fæci viliſſimæ, quacumque ratione excitare; quum tamen *riſu inepto res ineptior nulla ſit*, ut videtur Catullo. Nihil ſane gravibus & viro dignis cogitationibus, nihil ſtilo perinde nocet, atque his Fabulis libenter & ſæpius intereſſe: mimis enim & ſcurris audiendis, paullatim orationis gravitatem dediſcimus, omniaque indecora pati & probare conſuevimus. Hoc porro vitium levitatis & immodicæ εὐτραπελίας a theatris in forum, in ſcholas, in curiam etiam, non ſine pudoris detrimento, ſerpere ac diffundi videmus: plurimi enim dum ſeria tractant, ridiculi, urbani, dicaces, cavillatores videri volunt. Sæculo quidem ſextodecimo, bonis litteris valde florentibus, Italorum Comœdiæ hac in parte minus aliquanto delirabant: & in earum jocis minus frigoris & quiſquiliarum animadverti poterat: nam ad veterum exemplaria componi plerumque ſolebant: ἀσελγείας tamen & improbitatis officinas recte vocaveris in argumentis, moribus, ſententiis. Neque

que tamen exiſtimandum eſt, ſolam in Comœdiis apertam obſcœnitatem probæ ac pudicæ juventuti detrimento eſſe: ſunt alia plura ſpecie venuſtatis, elegantiæ, lepóris, humanitatis fallentia, inſidiarum plena, veneni ac peſtilentiæ, quibus poetæ nequam hoc tempore gratiam populi aucupantur, & moribus perniciem inferunt. Quid enim? an frequentius quicquam audias in hodiernis Comœdiis, Fabulis Nemorenſibus ſeu Paſtoralibus, Dramatis ad muſicam accommodatis, poematum genere corruptiſſimo, quam pietatem, innocentiam, virtutem a perſonis colloquentibus derideri ac ludibrio haberi? peccandi licentiam ſemper colore aliquo excuſari, vel jocis & facetiis obtegi atque elevari? Læditur profecto ab his verecundia, aut periclitatur ſaltem, omnibus libidinis atque intemperantiæ conatibus & dolis oppugnata & labefactata: verbis, inquam, & ſententiis venenum ſub melle celantibus, ex quibus, tamquam ex tenuiſſimo amictu aliquo, vitium ſatis pellucet, ac non obſcura turpium voluptatum ſignificatione mirabiles ſui amores exſuſcitat. Dictitant enim peſſimi poetæ per hiſtriones ipſis deteriores, utendum ætate eſ-

ſe;

ſe; vitæ fructum vel maximum in eo conſiſtere, ut quis genio indulgeat, neque dulcia & voluptaria in ſenectutem differat; ſeveritatem, gravitatem, pudorem, infamiæ fugam, religionis etiam curam, ſi diis placet, res nempe injucundas, triſtes, aſperas, hominibus impedimento eſſe, quominus bonis præſentibus frui atque uti poſſint: abjiciendas propterea & ſeponendas, non ſecus ac onus graviſſimum, & moleſtam ſarcinam, ſub qua ferentes laborent atque opprimantur. Addunt idemtidem, nihil prodeſſe formam virgini aut nuptæ, ſi amatoribus careat: mulieri cavendum eſſe, ne uno tantum laudatore aut cultore contenta ſit: quot enim proci ad ipſam acceſſerint, tot eam pulchritudinis ſuæ ac venuſtatis certiſſimos teſtes habituram. Præterea dehortantur adoleſcentes, ne ſtudiis & vigiliis pallorem contrahere velint, ne gloriæ ſplendore ducantur, ne ſenilem prudentiam præmature affectent: quæ res ipſos mulierculis odioſos, amoribus ineptos, hominibus elegantioribus graves omnino effectura ſit. Alias ætates alia decere: interea dum ſanguis fervet, dandam operam, ut lætitia, potu ciboque liberali, Venere, otio, ſomno

quam

quam longiſſime bona ætas protrahatur, contemtis rumoribus & fabulis invidorum: hoc enim vitæ genere utentem vix intelligere quando obrepat ſenectus; quæ demum quum advenerit, memoriâ præteritarum voluptatum oblectari & recreari poterit. Cavendum itaque homini non ſtulto, ne illum aliquando pœniteat, ſe genium ſuum in vita fraudaſſe, bonaque ſibi a natura oblata vel ſuperbe abjeciſſe, vel imprudenter diſtuliſſe. His vocibus, his præceptis ex hara Epicuri depromtis hodierna theatra fere perſonant: in hac ſchola erudiuntur adoleſcentes, hic docentur virgines a teneris unguiculis inceſtos amores meditari, hic adulteriorum exempla nuptis proponuntur; diſcunt enim, quomodo cuſtodum & mariti cura falli poſſit, quomodo admittendi amantes, qua ratione ſpecies quædam exterior pudicitiæ ſervanda ſit, ac ſimul remotis arbitris libidini atque intemperantiæ frena laxanda. Hæc, proh pudor! ſpectantur promiſcue ab omnibus apud Chriſtianos, audiuntur, leguntur, ediſcuntur, & inhæreſcunt penitus in mentibus: quum præſertim eodem accedat muſicæ & ſaltationis lenocinium, quo nihil ad virile animi robur

fran-

frangendum & enervandum accommodatius excogitari poteſt. Nam qui cantilenis & citharis immoderatius indulget, ſicuti Plato animadvertit libro 3. de Republica, τήκει καὶ λείβει, ἕως ἂν ἐκτήξῃ τὸν θυμὸν, καὶ ἐκτέμῃ, ὥσπερ νεῦρα ἐκ τῆς ψυχῆς, καὶ ποιήσῃ μαλθακὸν αἰχμητήν· *liquefacit & diſſolvit animum, donec omnis illius vigor contabuerit penitus, tamquam ſi nervos ex illo exciderit, ſegnemque bellatorem effecerit*. Plutarchus autem in eo commentario quem inſcripſit ἐρωτικὸν, ſcilicet *amatorium*, muſicam & ſaltationem appellavit τοῦ λόγου ἡδύσματα, *orationis condimenta*; monuitque ſapienter, ejuſdem λόγου τὸ παιδεῦον, nimirum quod *in oratione frugiferum eſt*, *atque ad erudiendum idoneum*, his condimentis fieri κινητικώτερον, nempe *magis efficax ad hominum animos permovendos*: contra, quod in ſermone βλάπτον eſt, videlicet *noxium*, *& moribus pernicioſum*, fieri ἀφυλακτότερον, id eſt *quod minus caveri poſſit*. Evenit enim ſæpius, ut impiæ, falſæ, impuræ ſententiæ, metri, ſaltationis, harmoniæ lenocinio condítæ, impietatem, falſitatem, nequitiam ſuam facile occultent, & ad incautorum animos certius penetrent, illoſque adminiſtra ſuavitate omnino depravent:

vent: quemadmodum boleti, aliaque genera ciborum peſſimi ſucci & alimenti, ſi condíta, &, quod ajunt, emendata inferantur, avidiſſime ab edacibus devorari ſolent, iiſque cruditatem, pituitam, febres, varios morbos, mortem denique adducunt.

Quæ tamen peſtis capitalior, ut ajebat Q. Fabius Maximus, homini a natura data eſt, quam corporis voluptas? Hujus avidæ libidines, quum temere atque effrenate ad potiundum incitantur, homines ad omne malum facinus ſuſcipiendum impellunt. Ne quid enim dicam de rei familiaris jactura, de morbis & languore intemperantium, de ceteris incommodis quæ ad ſingulos tantum vel ad privatas familias pertinent; nonne ex hoc potiſſimum fonte proditiones patriæ manant, rerumpublicarum everſiones, clandeſtina cum hoſtibus colloquia? cujus rei exemplum in Scylla, Niſi Megarenſium regis filia, Minois hoſtis amore capta, item in Tarpeja virgine Veſtali, quæ arcem Capitolinam T. Tatio regi Sabinorum prodidit, quum eum deperiret, fabulæ atque hiſtoriæ prodiderunt. Porro, qui turpem voluptatem colunt, ii mentem atque rationem, unum excellentiſſimum

mum Dei munus, quo ſeparamur a feris, obcæcant prorſus & perdunt. Cur igitur comici poetæ, vel ſimilium Dramatum ſcriptores, in hac peſte alenda, acuenda, amplificanda, confirmanda, tantopere laborant? quum etiam ſine hujuſmodi ſtimulis atque illecebris, homines ut in lucem editi ac ſuſcepti ſunt, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum perverſitate verſentur? quod etiam Cicero agnovit initio libri tertii Tuſculanarum Quæſtionum. Comicos quoſdam videas poetas levioribus tantum vitiis, & vix nomine vitiorum dignis, mirum in modum infeſtos; ceterum ad graviora & capitalia dormitantes & conniventes. Molierius, verbi cauſſa, Gallus Comœdiarum ſcriptor celeberrimus, (id optime animadvertit Jacobus Benignus Boſſuetius, vir dignitate, eloquentia, eruditione pluribus aliis præferendus, in libello quo noſtrorum temporum Comœdiam inſectatur) Molierius, inquam, per cauſſam deridendi ſuſpiciones maritorum, & nonnullas feminarum ineptias, id agit omni ſtudio & contentione, ut uxores intelligant, quantum rationibus earum conferre poſſit virorum perfidiam illicitoſque amores diſſimulare: do-

cetque illas, ſi non præceptis, at exemplis tamen, adulterium adulterio ſtrenue ac fidenter ulciſci. Nonne hoc eſt muſcas & culices, ut ita loquar, perſequi atque interficere; feris autem beſtiis parcere, viperas & noxium quodque ſerpentium genus non ſolum intactum abire ſinere, verum etiam alere, fovere, propagare? Nonne hoc eſt verrucæ, exanthemati, furunculo medicinam adhibere; vulnerum & ulcerum fœdiſſimorum curam abjicere, immo vero, tamquam veneno addito, inſanabilia efficere?

Hæc eſt noſtri ſæculi præcipua labes, urbanitati ac morum elegantiæ unice ſtudere, ſummum illi pretium ponere: veram contra ſolidamque virtutem minimi facere, jociſque petulantibus apud populum in contemtum adducere; neque ea in peccatorum numero habere quæ cum quodam lepóre committantur. Quaſi aut homo bellus & elegans, ut appellant, non idem poſſit eſſe nequiſſimus, aut ulla in vitiis & criminibus elegantia fingi poſſit; quæ rationi, decori, ordini, rerum convenientiæ adeo graviter & manifeſte repugnant. Quid vetat, eſſe aliquem doctum & ſolertem in palæſtra, in armis, in equitando, ſaltando, luden-

dendo, pernoctando, cum feminis garriendo, alenda & diſponenda coma, pſallendo, cantitando, ſorbillandis potibus peregrinis; occupatum ſcilicet in nihil agendo: quæ ſtudia ſunt hodie adoleſcentium liberaliter educatorum: eumdemque inſcitia, vecordia, libidine, ignavia, otio, rerum omnium bonarum faſtidio, & quæ hos mores plerumque conſequi ſolet, ſtultiſſima ſuperbia laborare? Huic igitur corruptelæ blanditur, hanc ſuadet, laudat, confirmat hodierna Comœdia, & ſi quod aliud poema eſt molle, effeminatum, illecebroſum. Nihil contra impedit, aut ego fallor, ut ſit alius quiſpiam harum deliciarum paullo rudior, maximo tamen ingenio egregiaque animi virtute præditus, quîcum priores illi comparati centum aut ducenti non aliter obruantur ac pæne evaneſcant, quam Pygmæorum exercitus cum Hercule congreſſus, aut *Veneri donatæ a virgine pupæ*, ſi eas ad ſimulacrum Jovis Olympici collocaveris. Hos tamen heroas leviſſimi poetæ modo aperte, modo latenter & quaſi per cuniculos dictis oppugnant, & naſo ſuſpendunt: id quod olim peſſimo exemplo Ariſtophanes adverſus Socratem præſtitit. Virgilii cultus

& victûs ratio aulicis hominibus minus probabatur, ſi Horatium audimus Satyra 3. libri 1. quod is aliquantum ruſticitate peccaret: Virgilius tamen vivit ad hanc diem ſcriptis editis immortalibus; reprehenſores illi eorumque nomina penitus interciderunt. Horatii verſus afferam de Virgilio:

Iracundior eſt paullo: minus aptus acutis
Naribus horum hominum: rideri poſſit, eo quod
Ruſticius tonſo toga defluit, & male laxus
In pede calceus hæret: at eſt bonus, ut melior vir
Non alius quiſquam: at tibi amicus: at ingenium ingens
Inculto latet hoc ſub corpore - -- --- ----

Quæ quum ita ſint, nihilominus comicæ improbitatis patroni dictitare non deſinunt, verborum & ſententiarum laſciviam, quibus amatores in Comœdiis utuntur, ipſo exitu fabulæ corrigi ſatis atque emendari. Hæc enim omnia, ſi eos audimus, ad nuptiarum bonum collineant; & in eo tandem, ut in portu aliquo, æſtus juvenilium cupiditatum frangitur, & honeſtiſſime conquieſcit. Nemo autem ignorat, Comœdiæ ſolenne ac ratum eſſe in matrimonium deſinere. Sed hoc etiam deſperatum perfugium illis obſtruit Boſſuetius paullo ante me-

memoratus. Animadvertit ſiquidem, amatorios, molles, impuroſque ſermones, quamquam eos conjugium ſequatur, animis adoleſcentium labem inferre: qui ſcilicet amorum licentia & hilaritate capiuntur, matrimonium porro, ut rem triſtem ac ſeveram, oderunt; quum viri & uxoris appellationem ad dignitatem pertinere intelligant, non ad voluptatem. Quod ſi nuptias non eſſe fugiendas exiſtiment, id ſolum ex nuptiis appetunt & quærunt quod pudoris plenum, cum furtivis libidinibus commune, atque adeo erectæ indolis homini obtegendum & caute diſſimulandum eſt. Contra autem fieri oportebat; ut nimirum ſanctitas matrimonii, & magnæ utilitates ab illo profectæ potiſſimum appeterentur; mala quæ id bonum comitari ſolent vitio rerum humanarum, ab oculis, auribus, cogitatione quam diligentiſſime ſummoverentur.

At ſi Comœdiarum auctores deinceps conſulere moribus velint, atque his venenis abſtinere, nemo Dramata illorum patienter audiet, nemo plaudet, nemo clamorem tollet: omnia ſtatim frigebunt, nulla ſalis mica reliqua erit, ipſi ſoli in theatris relinquentur, & cum ſcriptore ſuo deferentur

-- -- -- in vicum vendentem tus & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Id veriſſimum eſt: non invitus fateor. Peccet hoc tempore oportet, aliorumque peccatis faveat, qui comicus excellens haberi cupiat. Quum enim præter modum vitia creverunt, aſſentatores poſtulant, quorum fallaci oratione titillentur; objurgatoribus quidem ac reprehenſoribus ſilentium imponunt. Fuit olim tempus quum populi judicia non adeo perverſa eſſent: propterea quod in hominum mentibus latent ſemina quædam & ſcintillæ virtutis atque honeſtatis. Hæc judicia jampridem corruperunt nequiſſimi poetæ, editiſque turpibus fabulis, omni opinionum pravitate ſpectatores imbuerunt, ut jam nullo pacto ad ſanitatem revocari poſſe videantur. Nihil igitur mirum eſt ſi Comœdia hæc recens tantopere adverſetur pietati ac philoſophiæ, neque ulla ſpes emendationis ſe ſe oſtendat: quis enim lanam fuco medicatam elui umquam vidit, ac priſtinum candorem recipere? Quocirca facilius exiſtimo poemata hujuſcemodi omnino tollere, ac theatra ipſa diruere, ut homines in poſterum ineptire ac ridere nolint, (quod monſtri ac prodigii ſimile eſſet)

ſet) quam ita ſcribere Comœdiam, ita populo ſpectandam proponere, ut ex ea civitas, virtus, honeſtas nihil detrimenti capiat. Periculum tamen faciendum cenſeo ab iis qui multum ingenio ac judicio valent, num Comœdia ſcribi poſſit *quæ miſceat utile dulci Lectorem delectando pariterque monendo*, atque adeo viris gravibus & ſimul juventuti placere poſſit, rerum ac verborum turpitudine omni procul amota, jocorum delectu habito, ceteriſque ſervatis quæ poetam frugi ſervare oportet. Si quis hoc in genere ſe exerceat, ſolidam & veram laudem conſequi poterit: novam enim viam ingredietur, a pauciſſimis adhuc tentatam, & ſibi, quod ajebat Lucretius, jure accommodaverit,

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo; juvat intégros accedere fontes,
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Inſignemque meo capiti petere inde coronam
Unde prius nulli velarint tempora Muſæ.

Facillimum enim eſt vel mediocribus ingeniis vetitos amores, lenocinia, ſerviles obſcœnoſque ſermones, joca illiberalia, impura denique argumenta in ſcenam inducere: omnia hæc vulgata ſunt ac trita; *cui* enim

non

non dictus Hylas? At riſum excitare ſimulque pudori & bonis moribus parcere: vitia non docere fingendo, ſed irridendo in contemtum & odium adducere, id vero excellentium poetarum fuerit, qui ex difficili & laborioſo, eodemque utiliſſimo ſcribendi genere gloriam quærant. Hæc habui quæ de re longe graviſſima, quantum præſentis inſtituti noſtri ratio ſinebat, breviter dicerem; non quod pravam theatrorum conſuetudinem mutatum vel emendatum iri ſperem: hoc enim puſillis viribus noſtris opus eſt profecto majus: verum ut id quod ſentio, lectoribus meis candide aperirem, ac ſimul Chriſtiani doctoris officio fungerer, qui nefario ſcelere ſe obligaret niſi ea quæ ſunt in artibus & diſciplinis fidei ſuæ commiſſis vitioſa, reprehendere ac notare, ſed probare potius, vel etiam ſilentio præterire vellet.

Caput VIII.

Ilias atque Odyſſea, duo poemata Homeri, tamquam ſpeculum vitæ humanæ, ex Horatii ac Jani Vincentii Gravinæ ſententia proponuntur, & accuratius examinantur. Ilias reipublicæ imaginem & civilium negotiorum repræſentat: Odyſſea res domeſticas, & conſuetudinem privatorum. Hoc examen latiſſime perſequimur. Cur Homerus improborum etiam mores interdum expreſſerit. Comœdiæ nonnumquam bonos imitantur. Dithyrambi & Nomi quales perſonas imitarentur. Athenæi locus explicatus. Tragœdiæ & Comœdiæ præcipua differentia. Philoſophici mores tragicis perſonis non conveniunt.

Deinceps pulcherrimum exemplum emendationis morum, & purgationis affectuum, duo poemata Homeri, nempe Iliadem atque Odyſſeam, ſtatuere decrevi, ut magis magiſque utilitas eluceſcat quæ ex optimorum poetarum lucubrationibus colligi poteſt. Homerum enim tragicorum parentem exiſtimavit antiquitas, eumque Polemo philoſophus ἐπικὸν Σοφοκλέα, *epicum Sophoclem*, ap-

appellare ſolitus erat. De hoc ſummo poeta vere pronuntiavit Horatius Epiſt. 2. lib. 1.

Trojani belli ſcriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi:
Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.
Cur ita crediderim, niſi quid te detinet, audi.
Fabula qua Paridis propter narratur amorem,
Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorum regum & populorum continet æſtus.
Antenor cenſet belli præcidere cauſſam.
Quid Paris? ut ſalvus regnet, vivatque beatus,
Cogi poſſe negat. Neſtor componere lites
Inter Peliden feſtinat & inter Atriden.
Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque.
Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.
Seditione, dolis, ſcelere, atque libidine, & ira
Iliacos intra muros peccatur & extra.
Rurſus quid virtus & quid ſapientia poſſit,
Utile propoſuit nobis exemplar Ulixen.
Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes
Et mores hominum inſpexit, latumque per æquor,
Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.

Si-

Sirenum voces, & Circæ pocula noſti:
Quæ ſi cum ſociis ſtultus cupiduſque bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors:
Vixiſſet canis inmundus, vel amica luto ſus.
Nos numerus ſumus, & fruges conſumere nati,
Sponſi Penelopæ, nebulones, Alcinoique
In cute curanda plus æquo operata juventus:
Cui pulchrum fuit in medios dormire dies, &
Ad ſtrepitum citharæ ceſſatum ducere curam.

Homero igitur propoſitum fuit duabus fabulis humanam vitam deſcribere. Ac primum in Iliade reipublicæ imaginem & civilium negotiorum, tamquam in tabella pictam, repræſentare inſtituit: deinde in Odyſſea res familiares & conſuetudinem privatorum. Illic bella, magiſtratuum rationem, artemque gubernandi; hic patrum, matrum, filiorum, ſervorum ingenia, ἐς ὅλην τὴν οἰκονομικὴν, *totam familiæ curam*, diligenter expreſſit. Homeri porro temporibus (quod animadvertit Janus Vincentius Gravina) Græcia omnis diviſa erat in parvas civitates, ſive reſpublicas, quarum ſingulæ ſuum ſibi regem præficiebant, eique non immoderatam, ſed patriis legibus definitam circumſcriptamque poteſtatem tribuebant: ab his autem legibus eorum gubernatio pendere omnino debebat, teſte

teſte Dionyſio Halicarnaſſeo. Propterea Homerus illos juſtitiæ legumque adminiſtratores appellavit. Ad hos pertinebat bella gerere, civium controverſias diſceptare, jus dicere, ſacris præeſſe. Amor vero libertatis, quo unuſquiſque populus flagrabat, metus potentiæ quum finitimorum, tum etiam ſuorum regum, ſæpenumero diſcordiam atque inimicitias inter vicinos populos, necnon inter regem & populum excitabat. Homerus iccirco, qua erat animi ſagacitate, quum prævideret, ex his fontibus, diſcordia nempe civitatum, & multitudine imperantium, perniciem Græciæ aliquando ortum iri, gentem ſuam edito poemate admonere voluit, quam triſtis eſſet exitus diſcordiarum, & rurſus, quantæ utilitates in univerſos derivari poſſent ſi omnes Græcorum civitates animis & opibus inter ſe conjungerentur: futurum enim ut Aſiaticorum regum potentiæ, quæ ipſos tandem oppreſſura videbatur, facilius obſiſterent ac repugnarent. Propterea finxit, quo tempore Achilles iratus fuit Agamemnoni, & ſociis auxilium denegavit, ſuperiores a pugna ſæpius diſceſſiſſe Trojanos: poſtquam vero inimicitias uterque depoſuiſſent, victoriam penes

nes

nes Græcos fuiſſe. Vidit etiam eximius poeta, interitum populorum a certaminibus, perturbationibus, privatiſque ſtudiis magiſtratuum plerumque originem ducere: hæc autem e parvis admodum ſeminibus erumpere ſolere, puta ex amoribus, & ex ea quæ amores comitatur æmulatione ac rivalitate: hi enim morbi animorum ita firmas radices agunt, ita late ſerpunt in dies, ut a ſingulis hominibus in familias tranſeant, ac toti deinceps reipublicæ communicentur. Sapienter igitur Homerus & belli originem a raptu mulieris induxit, & offenſum Achilli Agamemnonem commentus eſt, quod is Calchantis auctoritate uſus, exercitui peſtilentia afflicto perſuaſiſſet, reſtitui oportere Chryſeidem patri Apollinis ſacerdoti, ut interitus a populo depelleretur: & rurſus Achillem ab Agamemnone diffidentem, quod Agamemnon a viro fortiſſimo præmium victoriæ Briſeidem puellam pro imperio abripuiſſet. Qua injuria commotus Achilles diutius a pugnando abſtinuit: unde Græcorum calamitates, ac Trojanorum victoriæ: donec Briſeide reſtituta, Achilles Patroclum amicum, ab Hectore Trojano interfectum, ulciſcendi cupidus, Agamemnoni reconcilia-

re-

retur: ex quo magna fit rerum commutatio. Oſtendit enim Homerus, homines virtute præſtantes a ſuperbis regibus proſpera fortuna utentibus fere contemni; ſummis autem ac difficillimis reipublicæ temporibus rationem illorum demum haberi: propoſito Agamemnonis exemplo, qui quum ad incitas redactus eſſet, tum demum a contumacia & ferocitate deſiſtit, ac de Achille placando incipit cogitare. Hinc porro colligi facile poteſt, ſuis quemque ſtudiis & perturbationibus, magis quam publicæ utilitati obſecundare: præterea odium, & pœnæ de inimico ſumendæ cupiditatem affectus eſſe ambitione ipſa potentiores. Jam in ſenatu & conſilio Trojanorum videas ab Homero deſcribi malorum vim, & adoleſcentiæ temeritatem. inducit enim viros ætate provectos & gubernandi peritos, in deteriorum & juniorum ſententiis turpiter acquieſcentes: quum enim de reddenda Helena deliberetur, Paridis cupiditati & factioni obſequuntur etiam prudentes: verentur enim omnes, adoleſcentis impulſu, ne reddita & remiſſa muliere, timoris & ignaviæ nota Priami familiæ ac Trojanorum imperio inuratur. Delirare autem, & Paridi

ridi gratum facere, non ſine magna mercede contingit ſenatoribus ac toti populo: ex hoc enim fonte mors Hectoris, &, quod mortem Hectoris conſecutum eſt, urbis excidium manifeſto fluxerunt.

Quoniam vero ea quæ in terris gererentur, ex æternis & fatalibus cauſſis apta & ſuſpenſa eſſe credebantur, Homerus propterea fingit ſtudia, contentiones, odia, diſſidia, jurgia, diſcordias deorum, dum ſcilicet hi Græcos, illi Trojanos victoriam adipiſci volunt: quo ſane commento dici vix poteſt, quam erudite ac ſapienter totam reipublicæ adminiſtrationem ob oculos legentium poſuerit. Hoc enim pacto videmus quomodo potentiores in civitate, infirmioribus vel faveant, vel adverſentur: videmus, bonorum conſiliorum fœdos exitus, & malorum proſperitatem non ab hominum arbitrio, ſed a nutu fortunæ plerumque pendere: videmus, neque copiis, neque præſidiis, neque virtuti militum, neque prudentiæ imperatorum ita fidendum eſſe, quin belli ſuſcepti cauſſa exploretur, honeſta turpiſne ſit, ac Deo præterea ſupplicetur, juſtitiæ amatori, & victoriæ datori. Exiſtimant viri doctiſſimi nonnulli, vitio haud vertendum

eſſe Homero, quod deos hominum ſimiles effinxerit, nimirum iratos, obtrectantes inter ſe, aliiſque pluribus perturbationibus obnoxios: ajunt enim, culpam in ea ſæcula potius conferendam eſſe; quibus rudes homines, & nondum ſubtiliore doctrina exculti nullam deorum notionem habere poſſent niſi ab imaginibus hiſce corporeis adjuti & condocefacti fuiſſent. Deinde animadvertunt, Homerica numina nihil aliud eſſe aut ſignificare, quam varias & multiplices rerum univerſitatis notas & proprietates: quæ ſimul ſumtæ, omnes mundi partium naturas & οὐσίας exhibeant, itemque morum & affectionum χαρακτῆρας. Immo, ut acutiora ingenia id quod res eſſet ſuſpicari, & ad medullam fabulæ penetrare poſſent, deos induxit Homerus peccantes aliquando, & diis hominibuſque indigna perpetrantes: ita enim cordatis lectoribus manifeſtum fiebat, illos re vera deos habendos non eſſe: nihil enim pravum, ſceleſtum, flagitioſum cadit in divinam naturam. Qua ſane ratione plures Homerici nodi, multaque antiquorum poetarum ænigmata expediri & diſſolvi poſſunt. Nam quotieſcumque Homerus non fabuloſe aut poetico more, verum ſerio & ex animi

mi ſui ſententia locutus eſt, unum Deum poſuit, eumque omnia tempora & loca pervadentem, nullis finibus circumſcriptum, rerum omnium & naturarum auctorem; cujus perſonam interdum Jovi gerendam tradit: præcipue quum eum diis reliquis validiorem facit: ut loco illo quem locum Plato accurate perpendit, ubi catena quædam aurea in terras a Jove demiſſa commemoratur. Quicquid vero in rebus humanis quotidie, vel ſtatis temporibus contingit, bella, pax, imperiorum ortus & occaſus, id omne, ſi Homerum audimus, divino decreto examuſſim reſpondet; ea ratione ſcilicet, ut homines, qui ſinguli a variis cupiditatibus ad varios fines ipſis propoſitos feruntur, omnes tandem, quamquam diverſis itineribus, conveniant eodem: ad fati ſcilicet (ut iis temporibus loquebantur) ſeu divinæ voluntatis calcem ac terminum. Hæc autem fatalis neceſſitas tantam vim habere putabatur, ut neque ipſe Juppiter Sarpedonem filium a morte ſubtrahere potuerit, quum maxime optaret: propterea quod Jovis poteſtas fato connexa erat, fatum porro vetabat, Sarpedonem amplius vivere. Sic Hectore paullo poſt morituro, Juppiter

antea bilancem appendit, in qua Achillis & Hectoris fata poſuerat: eventum deinde ad eam partem impellit quo ſuopte pondere ſtateræ vectis inclinat. Quum autem Hectoris fatum præponderet, nutui ac ponderi obſequitur princeps deorum: ſcilicet a priore decreto ſuo non diſcedit. Leguntur hæc apud ſummum poetam Iliados libro 22. Præter hanc caſuum humanorum cum divinis decretis conjunctionem, tribuit Homerus unicuique hominum facultati, ſtudio, indoli numen ſuum peculiare: quo nihil aliud ſignificare voluit quam externarum cauſſarum diſſimilitudinem, unde in diverſis hominibus diverſos quoque effectus, cupiditates, voluntatum inclinationes prodire neceſſe eſt. Laſcivos igitur & ſalaces in Veneris tutela eſſe comminiſcitur, ingenioſis Minervam, iracundis & furioſis Martem, aliis alia numina præficit, quæ cujuſque ingenium temperent ac moderentur. Hæc deorum & hominum *συμπλοκὴ* (ut de explicatione doctrinæ hujus, quam in ſe continet, nihil dicamus) poetæ præterea adjumento eſt in colligandis nodis & diſſolvendis, in varietate modorum adhibenda, in augendis & extollendis rebus aſſumta ſpecie divinitatis.

Ex

Ex hac porro commixtione, incredibile eſt, quis conſenſus fabularum & cogitationum oriatur, quam ipſi naturæ conveniens, quam utilis, quam jucundus & admirabilis. Fatemur quidem libenter, ſi falſa hæc numina ab homine Chriſtiano in poematis inducerentur, piaculum fore ac flagitium non ferendum: vera enim religio noſtra ab hujuſmodi ſuperſtitione longiſſime abhorret, ejuſque maxime diverſæ ſunt præceptiones; poetas vero illorum temporum hæ fabulæ non dedecebant, quod nempe iis res eſſet cum auditoribus errore imbutis, quibus parentes, nutrices, pædagogi, magiſtri olim perſuaſerant ita eſſe ut poetæ canebant. Hæc omnia igitur apud veteres, quamquam falſa, veri tamen ſimilia erant, propter opinionem hominum mentibus anticipatam: & poetæ laudabantur qui ea carminibus apte inſeruiſſent. Nam ex poematis Homeri atque Heſiodi, ſacrorum ritus, & religionis rudimenta depromere atque haurire ſoliti erant: ipſaſque deorum imagines pingebant fingebantque ut poetæ illi monſtraverant, verbiſque delineaverant. Id, præter alios, animadvertit Herodotus in Euterpe. Sic igitur a viris doctiſſimis defen-

ditur Homerica ratio, qua dii cum hominibus miſcentur, iiſque humanæ cupiditates, turbidique motus animorum tribuuntur. Quid vero de hac re ſentiendum ſit, alio fortaſſe tempore ac loco diligentius inveſtigabo.

Venio nunc ad alterum Homeri poema, quod inſcripſit Odyſſeam. In eo ſcilicet Homerus Ὀδυσσέως, id eſt Ulixis, labores, itinera, calamitates, infortunia, pericula, &, quod præcipuum eſt, prudentiam & ſolertiam lectoribus conſiderandam proponit. Abſolutum vitæ privatæ exemplar effingere voluit, in quod homines, tamquam in ſpeculum, intuerentur. Inde enim elucet ſapientia, non umbratilis & delicata; cujuſmodi eſt philoſophorum, qui a publicis negotiis remoti, diſputationibus parum utilibus tempus terunt; ſed ex uſu rerum collecta, & legum morumque variorum cognitione. Ex eodem poemate depromi poſſunt arma & remedia contra fortunæ vim: docemur enim, felicitati nos credere non oportere; quod fluxæ & inſtabiles omnino ſint opes atque potentia: neque rebus afflictis deſperandum eſſe; quod fiant ſæpenumero ſubitæ commutationes, & jacentes exciten-

citentur, ſuperbi deprimantur. Iccirco Ulixes ventorum impetu agitatus, multis undique cinctus periculis, tot tempeſtatum ſævitie a patriæ finibus prohibitus, numquam tamen animo deficit, ſed magis magiſque vim colligit, ut adverſis rebus ſupereſſe poſſit, ſecundis intereſſe. Poſtquam enim ex inſula Calypſus vela ſolvit, poſtquam Circes dolos, Polyphemi & Ciconum immanitatem, Sirenum illecebras evaſit, ipſo maris æſtu ad Phæacum litora delatus eſt, ubi Nauſicaæ regiæ virginis officiis recreatus, & ab Alcinoo puellæ patre comiter & magnifice hoſpitio exceptus, tandemque cum ſociis, navi, ac muneribus domum remiſſus fuit. Vix autem ædes ſuas attigerat, quum ei graviores calamitates, majora pericula ſe ſe obtulerunt. Nova igitur fortitudine munitus, novis conſiliis inſtructus, Ulixis perſonam caute diſſimulavit, alienamque ſumſit, facie ac veſtibus commutatis: hoc pacto licuit ipſi commode procorum licentiam & laſciviam, rei familiaris conditionem, domeſticorum perfidiam, filii diligentiam, uxoris conſtantiam, Eumæi probitatem, tutiores denique ultionis vias circumſpicere atque obſervare. Porro

in Odyſſea Circe illa venefica voluptatis naturam declarat, quam immoderate appetentes, & ſine ductu rationis, ex hominibus vertuntur in feras: quod ſociis Ulixis eveniſſe narrat poeta, quum temere & effrenate ad potiundum incitarentur. Contra, qui mentis compotes atque intelligentiæ ſunt, qualem Ulixem Homerus inducit, ii noverunt voluptatem defæcare, & quod in ea purum & innoxium eſt a peſtilenti & venenato ſeparare. Propterea Ulixes a Mercurio *μῶλυ* herbam dono accipit, quæ *παρὰ τὸ μωλύειν τὰς νόσους* dicta eſt, nempe a ſedandis & mitigandis morbis: acumen vero mentis & ſagacitatem ſignificat; cujus ope Ulixes Circe potitus eſt, verum Circes dolis non ſe paſſus eſt circumveniri, quum ſibi prudentiam ſubſidio comparaſſet.

Penelope in eodem poemate indolem & mores mulierum, graphice admodum pictos, exhibet conſiderandos. Pudicitiæ quidem laude illa inſignis eſt, ac fide adverſus maritum: nihilominus quum de vita ejus abſentis certior fieri non poſſet, noluit umquam ſibi viam præcidere in alteram familiam nubendi: procos igitur bona ſpe lactabat, ſed eos interea ſuſpenſos & in-

cer-

certos detinebat, donec nuntii non fallaces de Ulixe allati fuiſſent. Illi vero in tantam exſpectationem adducti, ne omnino deciperentur, Ulixis rem ſtrenue comedebant, quod ſæpe queritur ejus filius Telemachus: & in ipſis ædibus abſentis ludo vacabant, convivia agitabant, comiſſabantur, ancillis ad libidinem abutebantur. Et quamquam Antinous interdum præter modum laſciviret, ſeque inſolentius jactaret, adeo ut mater familias ferocitatem ejus, apud familiares vehementius improbaret, eique coram iraſci ſæpius videretur; ea tamen animo vix dolorem ullum capiebat, nec mali remedium quærebat. Hi enim ſunt mores mulierum; peti atque amari gaudent, incommoda libenter ferunt quæ a pulchritudine ſua oriri vident, amatores & procos, tametſi graves nonnumquam & moleſti fuerint, a ſe non dimittunt. Atque hæc non impudicarum ſolum, ſed etiam caſtarum vitia ſunt: quæ quamvis aut nulli, aut uni viro tantum, animum addixerint, multis placere non nolunt. Hinc vero certamina, inſidiæ, vulnera & cædes: quibus malis omnibus innuptæ aut viduæ puellæ obviam ire ac mederi facile poſſent, ſi volun-

luntatem ſuam aperte profeſſæ, rivalium adoleſcentium ſpem abrumperent atque præciderent.

In Odyſſea porro Phyſicæ quædam ſemina occurrunt; quod ex Protei fabula præſertim cognoſcere licet, ſub quo tegumento materia communis rerum omnium deliteſcit: præterea, ex conflictu ventorum, cum quo tempeſtatum cauſſas omnes Homerus conjunxit. Hujuſmodi autem Homericas ἀλληγορίας Plutarchus in primis, atque Heraclides Ponticus perſecuti ſunt. Exiſtimo, ſatis intelligi poſſe, quam recte Homeri poemata ſpeculum vitæ humanæ, & univerſitatis rerum imago a veteribus appellentur: & quantæ utilitates in cujuſque mores, in familiam, in rempublicam a ſtudiis poetarum, ſi ea ſancte, graviter, atque Homerico more inſtituantur, derivari poſſint.

Ceterum, cur dixerit Ariſtoteles in libello ſuperſtite de Re Poetica, Homerum viros frugi ac virtute præditos in ſuis carminibus imitatum fuiſſe, etiam atque etiam inveſtigandum eſt. Nonne ſatis conſtat, in Iliade, Therſitæ ac Dolonis mores, improborum ac nequam hominum, graphice expreſ-

preſſos? tum in Odyſſea, Polyphemi Cyclopis, Iri, Melanthii, & procorum Penelopes, qui Ulixis patrimonium devorabant, multaque alia turpia & prava committebant? At, quamquam manifeſtum eſt, Homerum diligentiam aliquam poſuiſſe in deteriorum etiam moribus factiſque exprimendis: (poetarum enim munus eſt materiam omnem quæ ipſis oblata fuerit, ornare atque expolire, dummodo ea ornamentum ſuſcipere poſſit) nihilominus propoſitum fuit ſummo poetæ in Iliade imitari Achillem, & magni atque invicti animi virum, præditumque mira fortitudine lectoribus exhibere: in Odyſſea porro, altero poemate, Ulixem, laborioſum hominem, experientem, cordatum, rerum peritum, qui calliditate ſua & prudentia e ſummis periculis evaſerit. Quapropter ad hujuſmodi præcipue excellentium virorum imitationem incubuit Homerus, qui primas obtinent in ejus poematis: hos tamquam virtutum exempla omni poſteritati propoſuit: neque tamen alios neglexit, qui ſecundarum ac tertiarum quodammodo partium dici poſſunt. Nam & vitia deſcripta id utilitatis habent, ut eorum comparatione virtus eluceſcat magis;

& ea-

& eadem cum virtute collata malitiam ac turpitudinem ſuam apertius prodant.

Quemadmodum autem heroici poetæ imitantur præcipue meliores, tametſi a deteriorum imitatione non prorſus abhorreant; ita in Comœdiis uſuvenit ut quamquam eæ in plebejis perſonis, & ſordidis moribus exprimendis plerumque occupentur, nonnumquam tamen & bona hominum ingenia imitentur, & illuſtres perſonas in ſcenam inducant. Quod ſi non parce atque obiter fiat, ſed magno ſtudio & data opera, Comœdia naturam ſuam & nomen amittet, quaſi, ut Horatius ait,

Diverſum confuſa genus panthera camelo.

Hujuſmodi eſt Amphitruo Plautina, cujus Dramatis argumentum ſane comicum & laſcivum eſt, perſonæ tamen tragicæ potius quam comicæ, nempe rex Amphitruo, & præterea dii Juppiter & Mercurius. Quod vitium animadvertit, atque ingenue confeſſus eſt auctor ipſe in prologo ejus Comœdiæ, Mercurium ita loquentem inducens:

Nunc quam rem oratum huc veni primum proloquar,
Poſt argumentum hujus eloquar Tragœdiæ.
Quid contraxiſtis frontem? quia Tragœdiam

Dixi

Dixi futuram hanc? deus ſum: commutavero
Eamdem hanc, ſi voltis: faciam ex Tragœdia
Comœdia ut ſit, omnibus iiſdem verſibus.

& paullo poſt:

Faciam ut commixta ſit Tragicocomœdia:
Nam me perpetuo facere ut ſit Comœdia,
Reges quo veniant & dii, non par arbitror.
Quid igitur? quoniam hic ſervos quoque partes habet,
Faciam ſit, proinde ut dixi, Tragicocomœdia.

Quemadmodum autem in argumentis Comœdiarum, ita in Lyrico genere poeſeos aliquando mutatum eſt. Nam quum Dithyrambi & Nomi plerumque in divinis laudibus verſarentur, eaque imitatione gauderent quæ meliores exprimit atque ob oculos ponit, inventi tamen ſunt Timotheus & Philoxenus, qui hujuſmodi poemata ad materiam humiliorem devocarent, puta ad ignavos, voluptarios, & voraces homines imitandos. Timotheus nimirum Perſas induxit deſcripſitque, nationem luxu perditam, ut omnibus notum: Philoxenus autem Cyclopas, ebrioſos & mira ingluvie, ut conſtat ex Homeri Polyphemo in Odyſſea, & ex Cyclope, Dramate Euripidis Satyrico. Neque enim Petro Victorio aſſentiri

tiri poſſum, in Commentario ad librum Ariſtotelis de Re Poetica exiſtimanti, Perſas a Timotheo ſummis laudibus celebratos: quæ ſane explicatio, meo judicio, peſſima eſt, atque a mente Ariſtotelis abit quam longiſſime. Quomodo enim Timotheus tam gratioſus apud populares ſuos, & non potius odioſus & inteſtabilis fuiſſet, ſi Perſas Græcorum inimicos, & cum quibus Græci non de imperio tantum aſſidue certabant, ſed etiam utri eſſent ac viverent, carminibus extollere atque ornare, in animum induxiſſet? Enimvero Athenæus, ut ceteros omittam, Timotheum & Philoxenum civibus ſuis gratiſſimos fuiſſe, non obſcure ſignificat lib. 14. Δειπνοσοφιςῶν, his verbis: Μετὰ δὲ ταῦτα τὰς Τιμοθέου καὶ Φιλοξένου νόμους μανθάνοντες χορεύουσιν κατ' ἐνιαυτὸν τοῖς Διονυσιακοῖς αὐληταῖς ἐν τοῖς θεάτροις. id eſt: *Poſtea quum Timothei & Philoxeni modos perdidicerint, ad tibias in theatris quotannis ſaltant per Bacchanalia*. Quo tamen loco Athenæi, ne quid diſſimulem, poſſet aliquis vocem νόμους, *Nomos* poematis genus Dithyrambo affine, non *modos* interpretari; ut ſcilicet Timotheus atque Philoxenus non Dithyrambos tantum, ſed Nomos etiam compo-

nere

nere ſoliti eſſent, quos diebus Bacchi feſtis univerſi cives ad tibias canerent atque ſaltarent. Si quis tamen contendat, vertendum eſſe *modos*, adhuc tamen modi carmina ipſa ſignificare poterunt: modi enim ſunt & poetarum & muſicorum. Certe carmen Horatii ſæculare Ode 6. libri 4. quo laudes Apollinis & Dianæ continentur, a pueris puelliſque patrimis ac matrimis cantatum fuit. In eo porro carmine hæc leguntur:

Nupta jam dices: Ego diis amicum,
Sæculo feſtas referente luces,
Reddidi carmen, docilis modorum
Vatis Horatî.

Hæc differentia quæ ſumitur a perſonis, Tragœdiam ipſam a Comœdia diſtinguit: nam Tragœdiæ id proprium eſt, ut meliorum actiones, mores, orationem exprimat; Comœdia vero ſemper occupatur in deterioribus ob oculos ponendis; deterioribus, inquam, & improbis magis quam qui nunc vivunt. Propoſitum enim videtur eſſe Tragœdiæ honeſti ſpeciem effingere, qua ſpectatores ducantur: tametſi enim atrocia facinora ſæpe in Tragœdiis contineantur & commemorentur, eo tamen res perducitur proce-

procedente fabula, ut qui ſcelera illa perpetraverunt, diis iratis pœnas perſolvant. Neque tamen tragici poetæ perſonas primarum partium eligunt peſſimas, & ſceleribus contaminatas, verum quæ impotentia aut animi perturbatione peccaverint, vel etiam malorum dæmonum impulſu; quibus perſonis propterea ignoſci poteſt. Habent igitur vitia quædam hujuſmodi perſonæ; non enim ſapientes ita ſunt ut ſapiens ille Stoicorum, neque illarum virtutes philoſophicæ finguntur, & ad amuſſim exactæ; ea tamen vitia magnam & erectam indolem ſuapte natura ſequuntur. Verbi cauſſa, reges & duces beneficentiam exercent, gloriæ cupiditate fervent, ſubjectorum commoda procurant, hoſtes a finibus depellunt, imperium propagant, ſupplicibus parcunt, illiberalem quæſtum plerumque oderunt, alia denique animi bona poſſidere ſolent, quæ aut ſint virtutes, aut ſaltem virtutum adumbratæ ſimilitudines: iidem nihilominus injurias patienter ferre neſciunt, ſuperbo & elato animo ſunt, &, ut Græci loquuntur, *μέγα φρονῦσι*: nam, auctore Salluſtio, *ſuperbia commune nobilitatis malum:* graviter iraſcuntur, cupidiſſime ultionem appetunt, cujus

ut

ut compotes fiant, interdum ad fraudem & crudelitatem prolabuntur: præterea, quod iis abunde omnia ſuppetant, laſciviunt haud raro, & mulierum amoribus indulgent. Hi ſunt mores ἀρχόντων καὶ τυράννων. Quod ſi veris virtutibus præditi eſſent, jam in Tragœdiis principem locum habere non poſſent: verum enim eſt quod inculcabat Epicurus, *Sapienti raro admodum intervenire fortunam*. Nimirum pertinet ad ſapientem vitia & peccata ſtudioſe vitare, animi perturbationibus modum imponere, eaſque in officio continere: ſi qua inciderint adverſa & perpeſſu aſpera, forti pectore tolerare: errores quibus humana natura obnoxia eſt neque valde mirari, & quamprimum, ſi poſſit, emendare: eumdem ſemper vultum ſervare: divitias, paupertatem, gloriam, ignobilitatem, vitam poſtremo ac mortem eodem loco habere, ac numquam a ſtatu tranquillitatis abduci. Homini porro ſic affecto nullæ occurrere poſſunt calamitates, quales in theatro ſpectare ac dolere conſuevimus. Perſonis itaque primarum partium non ſunt in Tragœdia, ſapientium mores temere tribuendi. Arrianus profecto libro 1. Diſputationum in Epictetum capite 4. cen-

ſet, ſi motus animorum auferantur, nullam reliquam eſſe Tragœdiam. Τί γὰρ, inquit, ἄλλο ἐςὶ Τραγῳδία, ἢ ἀνθρώπων πάθη τεθαυμακότων τὰ ἐκτὸς, διὰ μέτρου τοιοῦδ' ἐπιδεικνύμενα; *Quid enim aliud eſt Tragœdia, quam perturbationes hominum, externas res admirantium, metro ejuſmodi oſtenſæ?*

Caput IX.

Poetæ, qui frugi eſſe velit, abſtinendum eſſe ab omni rerum & verborum turpitudine: a convicio præterea & maledicto. Satyra ἐλεγκτικὴ *philoſophia. Non eſt ab adoleſcentibus ſcribenda. Poetarum adulatio quam turpis & pernicioſa. Quanta ſit auctoritas in Fabulis, & vis ad populum permovendum. Fabulam a mendacio longe differre. Solius Philoſophi eſt recte Fabulas comminiſci. De Poetarum vitiis plura.*

DIXIMUS, poetæ munus eſſe ut virtutem doceat adminiſtra voluptate, ac fabularum delinimentis. Quæ docendi ratio a barbaris quidem & ineptis hominibus contemni ac reprehendi ſolet: veteribus tamen Socraticis, qui omnem philoſophiam

phiam pepererunt, in deliciis atque amoribus fuit. Quamobrem divinus Plato (quod animadvertit Daniel Heinſius libro 2. de Satyra Horatiana) quum intelligeret, a nuda ſimplicique oratione, quæ ad docendum tantummodo ſit comparata, mores & affectiones non ſatis exprimi, adeoque minorem longe delectationem ex illa percipi, Dialogis philoſophiam tradere cœpit, ac poetica imitatione uti voluit. Quo ſcribendi genere ita excelluit, ut poetarum vel optimorum palmam dubiam feciſſe videatur. Propterea Horatius in Sermonibus, non ſolum virtutem docere, & vitia reprehendere aggreſſus eſt, quemadmodum poſtea Juvenalis; verum etiam mores ipſos bonorum & a recto etiam aberrantium, veris coloribus delineandos & imitandos ſuſcepit: ut eodem tempore moneret lectores, atque honeſtiſſima voluptate perfunderet. Hanc porro docendi rationem ineunti poetæ ab omni rerum & verborum obſcœnitate abſtinendum eſt, quæ mores adoleſcentium corrumpat: tum a convicio & maledicto, quo cives nominatim appetantur; nec veteris Græcorum Comœdiæ, procacis nimium atque impudentis, veſtigia legenda ſunt. Acerbis

 enim

enim carminibus tantum abeſt ut vitia hominum corrigamus, & civitati proſimus, ut potius turbas excitemus, & ſi quis reliquus in peccantibus pudor eſt, eum depellamus penitus & profligemus. Meminerint poetæ horum verſuum Horatii ex Epiſtola 1. lib. 2.

Feſcennina per hunc inventa licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit,
Libertaſque recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter: donec jam ſævus apertam
In rabiem verti cœpit jocus, & per honeſtas
Ire minax impune domos. doluere cruento
Dente laceſſiti. fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi. quin etiam lex,
Pœnaque lata, malo quæ nollet carmine quemquam
Deſcribi: vertêre modum, formidine fuſtis
Ad bene dicendum, delectandumque coacti.

Non diffiteor, τῆς ἀρετῆς rudimentum eſſe τὴν τῆς κακίας ὑπεξαίρεσιν: & qui bonus aliquando ſit futurus, eum a pravis habitibus exſtirpandis rem incipere oportere. Boethius id eleganter monet aptiſſima ſimilitudine, libro 3. de Conſolatione Philoſophiæ Metro 1.

Qui ſerere ingenuum volet agrum,
Liberat arva prius fruticibus,

Falce

Falce rubos ſilicemque reſecat,
Ut nova fruge gravis Ceres eat.

Pervulgatum eſt illud Flacci:

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitiâ caruiſſe -- --- ---- -----

Quapropter Satyra καθαρτικὴ quædam & ἐλεγκτικὴ philoſophia dici poteſt, quum ſit vitioſorum accuſatrix, & vitiorum expultrix. Nolim tamen feroculos adoleſcentes, & rerum imperitos, in hoc ſcriptionis genere exerceri, ut alicubi terrarum, peſſimo exemplo, nec ſine verecundiæ jactura, fieri doleo. Viros id poema poſtulat, ſi quod aliud: viros inquam ſapientes, eruditione ſingulari, judicio acerrimo, humanitate, urbanitate, dexteritate ſumma; qui legem ſibi dixerint virtutum omnium, qui opus illud aggrediantur nulla re commoti alia niſi utilitate communi. *Nam qui ſibi hoc ſumſit, ut corrigat mores aliorum, & peccata reprehendat, quis huic ignoſcat ſi qua in re ipſe ab religione officii declinarit?* Utor verbis M. Tullii ex Oratione frumentaria in C. Verrem.

Neſcias vero, utrum deteriores habendi ſint qui famoſis libellis, jocis petulantibus, amara dicacitate hominum vitam inimice

inſectantur, Archilochum, Hipponacten, Eupolin, Cratinum, Ariſtophanem, Timonem Phliaſium, Lucilium, Petrum Aretinum imitati; an qui probos & improbos, fortes & ignavos, doctos & indoctos promiſcue laudant. Hi certe uno atque eodem tempore & bonis injuriam faciunt, quod laudes ipſis tantum debitas cum indignis communicare non dubitent; ac malis propterea nocent, quod nimirum ſcelera & flagitia illis pulchra & honeſta, vel certe minus turpia videri incipiant, quum laudatoribus non careant. Hac ſane ætate nihil eſt tam impudens, vile, pervulgatum, meretricium, quam laus: ea ſe venalem exhibet, mentiri ac pejerare paratiſſima: ea teruncii vel oboli pretio nomen herois vendit τοῖς τυχοῦσιν: ea ſe cum orichalco aurum, Therſiten cum Achille, vitia cum virtutibus æquaturam pollicetur. Quapropter illi etiam qui nullam poematum & poetarum rationem habent, iiſque ſalutantibus & de via decedentibus vix reſpondere ſoliti ſunt, quum tamen laudari deſiderant, ad poetas, tamquam ad optimos paraſitos & adulatores, confugiunt, eorum limina ſupplices obſident, eos blande appellant, & ſe

poe-

poeticam facultatem rem eximiam & ſingularem habere, conceptis verbis affirmant. Quod ſi Epigramma, vel aliquid lyricum, vel heroicum, precibus, aut etiam ſportulæ oblata ſpe, a poeta extorſerint, læti diſcedunt, auctorem tamen, ut antea, contemnentes: non aliter ac ſi quis a muliercula digrediatur ex qua voluptatem ceperit, eam floccifaciens, utpote quæ pudorem & pudicitiam pretio ac mercede abjicere non dubitaverit. Deterior tamen eſt poetarum conditio; quorum ſcilicet laboribus non aurum neque argentum ſolvitur; ſed laudes pro laudibus, verborum deliciæ ſeu potius ineptiæ, falſa & fallacia promiſſa, nidor & fumus culinæ loco pecuniæ plerumque numerantur. Injuria nihilominus id fieri, nemo inficiabitur; poeta enim, ſi umquam, tunc maxime æſtimandus videtur quum jejuno admodum, immo nullo ipſi propoſito argumento, quid dicat, invenire tamen poteſt: quomodo ſi exſiſteret ars illa magorum admirabilis, cujus viribus in ſolitudine aliqua invia, in deſerto litore, in rupibus & aſperis montibus ædes magnificas excitari, hortorum amœnitatem, pomaria & arbores in quincuncem diſpoſitas

apparere ſubito poſſe, pueri & aniculæ arbitrantur. Sic & poetæ, qui a faciendis fabulis, ut plerique putant, Græco vocabulo dicti ſunt, non alio tempore magis hoc nomen ſibi ſumere ac poſtulare poſſunt quam quum laudant: tunc enim proprie fingunt, ac fabulam ſtruunt, tunc de illorum poematis uſurpari poteſt verſus ille Lucilianus,

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta.

Peccant igitur poetæ qui maledictis indulgent, neque minus delinquunt, facile ac temere laudantes, nullo diſcrimine. Feris illi belluis comparandi ſunt, hi cicuribus & manſuetis: genus utrumque peſtilens; ab utroque cavendum; nam & homines odiſſe, & alere vitia laudando, pariter civitatibus nocet. Lucanus olim & Papinius Neroni & Domitiano, tyrannorum tæterrimis, hoſtibus generis humani, impie ac nefarie adulati ſunt, eorum ita ſceleribus ſe ſe obligantes, & malo edito exemplo pernicioſe meriti de tota poſteritate.

Hæc igitur a poetis in faciendo carmine præſcriptio moderatioque teneatur: parcant pudori ſuo, ne tollant alienum: ne incurrant in bonorum famam: ne probrum caſtis, labem integris, infamiam

ho-

honeſtis inferant: Deum & divina celebrent, laudent benefacta, improbent ſcelera, vel ſaltem ſilentio tegant: ab inanibus cupiditatibus ad ſtudia virtutis atque ſapientiæ revocent adoleſcentiam: ſi enim hæc omnia præſtiterint, ſuus pulcherrimæ facultati honor conſtabit, neque ulla jam cauſſa ſupererit quamobrem Plato, vel ſeverior aliquis philoſophus, eos e civitate optimis legibus inſtituta ejiciendos & procul arcendos exiſtimet.

Ceterum, quanta ſit auctoritas in fabulis, & vis ad populum permovendum, noverunt ſapientes, qui vulgarium hominum indolem penitus introſpexerunt. Fabulæ enim, ſi docendi & juvandi, non decipiendi cauſſa proponantur, ſimilitudine quadam imperitos & rudes ad veritatis cognitionem quaſi manu ducunt. Eſt etiam alia fabularum utilitas, quod inveniri a ſapientibus facile poſſunt, & exempli locum obtinere: propterea exemplo ipſi anteferenda fabula eſt. Nam exempla non ſemper occurrunt vel præſto ſunt, niſi qui omnes hiſtorias perlegerit ac memoria comprehendat, & omnem calleat antiquitatem: eſt enim opus ut exempla ſimilia ſint rerum illarum quæ

tra-

tractantur: difficile autem eſt memoriam omnem veterem ita cogitatione percurrere, ut inde quam ſimillima exempla depromantur: quum ſæpius liceat ex tempore fabulam comminiſci. Quapropter in ſacris etiam litteris nonnulla ficta deprehenduntur, quæ ſub fabulæ putamine præcepti nucleum abſcondunt: hæc parabolas appellant; quibus & CHRISTUS Dominus noſter, æterna veritas, in Evangelio ad populum erudiendum non ſemel uſus eſt. Nemo igitur poetis mendacium, quaſi rem ludicram ac turpem, objiciat: nemo ſtudia poetarum propterea damnet quod ii fictis & excogitatis utantur pro veris: hæc enim ficta, non ſunt mendacia proprie dicta, ſed figuræ veritatem ſignificantes. Audiant potius rei poeticæ contemtores D. Auguſtinum, virum pravo & noxio mendacio tam infeſtum atque inimicum. Ejus hæc verba ſunt libro 2. Soliloquiorum capite 9. *Non omnis vult fallere qui mentitur: nam & Mimi & Comœdiæ & multa poemata mendaciorum plena ſunt, delectandi potius quam fallendi voluntate, & omnes fere qui jocantur, mentiuntur. Sed fallax, vel fallens is recte dicitur cujus negotium eſt ut quiſque fallatur. Illi autem qui non id a-*

gunt

gunt ut decipiant, ſed tamen aliquid fingunt, vel mendaces tantum, vel ſine hoc quidem, mentientes tamen vocari nemo ambigit. Infra vero capite 11. *Eſt fabula compoſitum ad utilitatem delectationemve mendacium.* Idem porro ſanctus vir accommodatius ad rem noſtram locutus eſt libro 2. Quæſtionum Evangelicarum quæſtione 51. *Non omne quod fingimus*, inquit, *mendacium eſt: ſed quando id fingimus quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium. Quum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ a ſapientibus & ſanctis viris, vel etiam ab ipſo Domino figurate dicta ſunt, mendacia deputabuntur; quia ſecundum uſitatum intellectum non ſubſiſtit veritas in talibus dictis.* Recte igitur Plutarchus in eo libello quem inſcripſit, πῶς δεῖ τῶν ποιημάτων ἀκούειν, nimirum, *Quomodo audienda ſint poemata*, ſcripſit de harum figurarum auctoribus, & auditoribus: ὅ τε ἀπατήσας δικαιότερος τοῦ μὴ ἀπατήσαντος, καὶ ὁ ἀπατηθεὶς σοφώτερος τοῦ μὴ ἀπατηθέντος. id eſt, *Qui fefellit, juſtior eſt eo qui non fefellit: & qui falſus eſt, ſapientior quam qui falſus non eſt.* Idoneas tamen & elegantes fabulas fingere, ſolis ingenioſis licet,

qui

qui ad ingenium variam eruditionem adjunxerunt. Quum enim fabulæ rerum verarum ſimilitudinem contineant, qui quod ſimile eſt in unaquaque re notandi & perſpiciendi facultatem habuerit, is demum fabulam ſcite excogitare poterit: perſpicere autem ſimilia ſine philoſophiæ cognitione vix poſſumus: nam qui ſapientiæ ſtudiis incubuerunt, ii fere ſoli nullo negotio res cum rebus conferre poſſunt, & quo quidque ab alio diſcrepet, vel cum eo conveniat, ſubtiliter animadvertere. Quæ cauſſa eſt cur in exordio Primæ Philoſophiæ ſcripſerit Ariſtoteles, amatorem fabularum quodammodo philoſophum eſſe: nam qui fabulas amat, admirabilia diſcere ſtudet, ſiquidem ex rebus admirabilibus & παραδόξοις, ut norunt omnes, fabulæ conſtant. Fatemur tamen libentiſſime, non ſatis eſſe ut poemata dulcia, varia, jucunda, admirabilia ſint, niſi præterea caſta fuerint, honeſta, bonæ frugis plena. Hæc tantum legere, laudare, ac retinere oportet; quæ nimirum juventuti haud contemnendam utilitatem afferre poſſunt, & diſciplinam atque inſtitutionem Chriſtiani hominis decent. Hujuſmodi enim poematis, tamquam medicamentis quibuſ-

dam,

Digitized by Google

dam, ad altiora & utiliora imbibenda mens adoleſcentium præparatur. Qui autem libri poetarum ab hoc ſcopo aberrant (& utinam plurimi non aberrarent) ii non abolendi quidem omnino ſunt, ſi pluribus noxiis & inutilibus quædam ſalubria & profutura habeant admixta : ſed viris, non pueris, committendi; viri enim rerum bonarum & malarum delectum tenent, & in illis æſtus cupiditatum plerumque deferbuit. Neque cujuslibet fuerit ſerpentes aut herbas venenatas tractare; ſed eorum tantummodo qui noverunt, quomodo ex ipſis etiam remedia interdum parentur & ἀλεξιφάρμακα. Sane poetas carminum dulcedine, ac perturbationibus excitandis, virile animi robur in lectoribus & auditoribus frangere, teſtatur M. Tullius libro 2. Tuſcul. Quæſt. his verbis : *Sed videſne, poetæ quid mali afferant? lamentantes inducunt fortiſſimos viros: molliunt animos noſtros: ita ſunt deinde dulces, ut non legantur modo, ſed etiam ediſcantur: ſic ad malam domeſticam diſciplinam, vitamque umbratilem ac delicatam quum acceſſerunt etiam poetæ, nervos omnes virtutis elidunt.* Boethius vero Severinus, vir ſanctiſſimus, libro 1. de Conſolatione Phi-

Philoſophiæ Proſa 1. inducit ipſam Philoſophiam gravi admodum reprehenſione adverſus Muſas utentem. *Quæ ubi poeticas Muſas vidit, noſtro aſſiſtentes toro, fletibuſque meis verba dictantes, commota paulliſper, ac torvis inflammata luminibus, Quis, inquit, has ſcenicas meretriculas ad hunc ægrum permiſit accedere? quæ dolores ejus non modo nullis remediis foverent, verum dulcibus inſuper alerent venenis? Hæ ſunt enim quæ infructuoſis affectuum ſpinis, uberem fructibus rationis ſegetem necant, hominumque mentes aſſuefaciunt morbo, non liberant.* Iccirco, ne hujuſmodi labes Muſis opponi merito atque exprobrari poſſit, eæ ſobriæ, ſeveræ, caſtigatæ ſint, memores *τῦ πρέποντος καὶ τῦ δημοσίᾳ συμφέροντος*: quarum ſuavitate condiantur & ornentur honeſta, non turpia & indecora commendentur. Nam ceteroqui ſanctiores gravioreſque hujuſcemodi Muſas in eadem ſcriptione ſua frequentavit Boethius, ipſa, ut exiſtimare par eſt, concedente Philoſophia.

CA-

CAPUT X.

Poeſis cum Hiſtoria comparatur. Hiſtoriæ laudes. Poeſis ad Philoſophiam propius accedit quam Hiſtoria: quapropter longe operoſius & excellentius eſt Poetæ munus quam Hiſtorici.

SUPEREST nunc inveſtigandum, utrum Poeſis an Hiſtoria ſit ad docendum atque ad emendandos mores magis accommodata. Sunt enim qui poetas numquam attingant, propterea quod uberiorem longe fructum ex aſſidua hiſtoricorum lectione ſe percepturos confidunt. Ajunt ſcilicet, facta quam ficta vehementius animum permovere. Præteriti vero temporis varios eventus, ad rectam vitæ inſtitutionem, & ad civitatis adminiſtrationem prodeſſe plurimum. Nam ſi difficile aliquid ac durum inciderit, quod afferat ancipitem curam cogitandi; ſcitum atque pulchrum eſſe ajunt deliberanti, quod olim recte factum ſit imitari. Nonne quum cives in curiam convenerunt, ætate provectos junioribus, in dicenda ſententia, longe antepone-

ponere ſolemus, ob prudentiam videlicet ac rerum uſum diuturna experientia comparatum? Hiſtoria tamen exemplorum multitudine ſenum omnium calliditatem ſuperat: immo adoleſcentibus ætatem addere, ſenibus conſilium multiplicare videtur. Privatos eadem regio ſpiritu imbuit: reges & principes ad egregia quæque ſuſcipienda, ſpe immortalitatis propoſitâ cohortatur. Præterea milites laudis avidos, in prœliis, in obſidionibus, in itinerum laboribus fortiores efficit: improbos contra infamiæ timore a ſceleribus perpetrandis avocat atque deterret. Quid, quod nonnulli, ut nomen ipſorum hiſtoriarum monumentis celebre fieret, ad conventus hominum inſtituendos, urbeſque condendas impulſi ſunt? alii novas leges promulgavere, quæ civium libertatem, vitam, ſalutem tuerentur? alii ſcientias & artes, maximo generis humani bono, ſolerter invenerunt? quæ omnia in tenebris jacuiſſent, neque umquam fortaſſe ſuſcepta fuiſſent, niſi præclaris ingeniis gloriæ ſtimulos, & quaſi calcaria, hiſtoriæ adhibuiſſent. Hæc, & alia plura in eamdem ſententiam legi poſſunt apud Diodorum Siculum in Præfatione Bibliothecæ Hiſtori-

ſtoricæ: qui ſcriptor, ut fit, arti ſuæ blanditus, Poeſin præ Hiſtoria leve aliquid & nugax eſſe, affirmare videtur. Diodoro T. Livium Patavinum adjungam, ſcriptorem graviſſimum: neque enim artis nobiliſſimæ laudes diſſimulare, aut ulla ex parte imminuere, in animum induxi. Hæc ſunt verba Livii in ipſo veſtibulo maximi operis: *Hoc illud eſt præcipue in cognitione rerum ſalubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri: inde tibi tuæque reipublicæ quod imitere capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites*. Veriſſime loquitur auctor ſummus: neque nos rebus manifeſtis adverſamur. Sed nihilominus laudes adeo magnificæ non efficiunt ut cum Poeſeos excellentia Hiſtoriæ dignitas æquari poſſit. Nam quæ diſciplinæ ad philoſophiam propius accedunt, eæ ſine ulla controverſia præſtantiores & excellentiores habendæ ſunt. Poetice autem de philoſophiæ ſplendore ac ſublimitate multum contrahit, eamque magis attingit quam Hiſtoria. Quum enim pertineat ad philoſophiam non res ſingulas, verum formas rerum καθόλȣ, nempe univerſe, conſiderare; longiùs abeſt hiſtoricus a philoſopho quam poeta;

ideo quod hiſtorico propoſitum ſit res ſingulas, ut geſtæ ſunt, cum fide narrare: poeta vero intueatur τὸ καθόλου, quippe qui non quid geſtum dictumve ſit, in medium adducit, ſed potius quid geri dicíve oporteat. Eſt igitur poeſis, ut optime animadvertit Ariſtoteles, neſcio quid præſtantius & ſapientiæ propius quam hiſtoria: nempe, ut Græco vocabulo utar, φιλοσοφώτερον. Philoſophia enim & ſcientiæ ſublimes contemplantur formas rerum univerſales, æternas, immutabiles, non autem ſingularia, quæ mutantur aſſidue, & modo ſunt, modo non ſunt: verum hiſtoria in ſingularibus deſcribendis occupata eſt. Verbi cauſſa, narrat, quæ Alcibiades fecerit vel paſſus fuerit, quas nationes Alexander Magnus bello devicerit, quæ fuerint Athenienſium & Lacedæmoniorum certamina cum regibus Perſarum: hæc autem omnia ſunt ex eorum genere quæ fiunt, & brevi tempore prætereunt, atque eſſe deſinunt; accidunt enim mortalibus hominibus, & una cum eorum ætatibus omnino intereunt. Pulchre Lucretius de hac re libro 1. (v. 465.)

Denique Tyndaridem raptam, belloque ſubactas

Tro-

Trojugenas gentes quum dicunt eſſe, videndum eſt,
Ne forte hæc per ſe, cogant nos, eſſe fateri:
Quando ea ſæcla hominum quorum hæc eventa fuere,
Irrevocabilis abſtulerit jam præterita ætas.

Poeſis contra univerſe contemplatur, quid neceſſarium aut veriſimile fuerit dicere vel facere hominem ejuſmodi, puta ſenem avarum, juvenem incontinentem, mulierem iratam, tyrannum crudelem aut ultionis cupidum. Sicuti autem ſunt certæ atque immutabiles virtutum formæ, ita ſunt definitæ quædam quaſi formæ vitiorum, in quas intuentur poetæ, δραματικοὶ præſertim, quum perſonas fingunt: deinde fictis hiſce perſonis nomina imponunt, quæ tamen ex univerſali rem ſingularem non efficiunt. Nam etiam Tragœdiæ ſcriptores, qui utuntur nominibus clarorum virorum & mulierum ex hiſtoria ſumtis, non eo conſilio id faciunt ut narrent quid illis perſonis evenerit, ſed potius ut oſtendant quid veriſimile ſit evenire hominibus ejuſcemodi, pro ætate, dignitate, imperio, virtutibus ac vitiis ipſorum. Quoniam vero ſpectatores fieri non poſſe exiſtimarent, viros principes ab illu-

ſtri proſperaque fortuna in maximas calamitates ultimamque miſeriam labi præcipites, niſi ſcirent id olim factum fuiſſe: (quod enim credunt homines aliquando factum, id putant ſimile veri ac δυνατὸν; certe enim niſi fieri potuiſſet, numquam factum fuiſſet) ob eam cauſſam tragici poetæ ſeligunt perſonas Tragœdiarum ſuarum ex hiſtoricis monumentis, ut ea quæ in ſcenam inducunt, veri ſimilia ſpectatoribus videantur. Ex his porro colligitur, eſſe aliqua veri ſimilia quæ olim facta ſint: eſſe item aliqua numquam facta, ſed quæ fieri potuerint, aut etiam debuerint, quibuſdam poſitis & ſtatutis.

Longe itaque operoſius & philoſopho dignius eſt poetæ munus quam hiſtorici. Non licet hiſtorico a veritate rerum geſtarum diſcedere: iccirco evenit ſæpenumero ut exempla virtutis & officii proponat minus perfecta: quemadmodum pictor, muliebris pulchritudinis exemplum, quæ numeris omnibus abſoluta ſit, vix ac ne vix quidem effingere poterit ſi illud a viva veraque muliere aliqua ſumat, neque ſpeciem illam, ſive ut Græci loquuntur, ἰδέαν pulchritudinis contempletur quam intus mente conce-

ptam

ptam gerit. hæc enim ſola vitio caret: neque ulla mulier eſt adeo formoſa, ut in ejus corpore nihil culpandum occurrat. Quum igitur hiſtoricus non ipſe argumentum operis & narrationes inveniat, ſed aliunde ſumat, nempe ab hominum factis, quæ ſemper aliquid vitii admixtum habent; propterea poetæ primas concedere debet, qui formam ipſam & ſpeciem virtutis intuetur, eamque carminibus exprimere ſtudet, ut ad illam mores legentium, quoad fieri poteſt, componantur. Nonne Cyrus Xenophontis, quem ſcriptor ſapientiſſimus in *Cyripædia* effinxit, potius imitandus eſt quam ille quem Herodotus in hiſtoria ſua deſcripſit, verus quidem & ſuis coloribus expreſſus, at humanis tamen vitiis & erroribus obnoxius, ut ceteri homines, quantacumque animi magnitudine præditi? Nonne perfectius atque utilius exemplum herois, militari virtute, conſilio, ac pietate inſignis, formavit Maro, lectoribuſque ob oculos poſuit in Æneide ſua, ex poetico theſauro multa depromens, quam ſi fide hiſtorica rem, ut geſta fuerat, narrare voluiſſet? Hiſtorici nimirum eſt monumentis litterarum prodere quæ fuerunt: poeta quæ non fuerunt, ſæ-

pius in medium profert; rerum nihilominus perfectionem & naturam ipſam exprimere conatur, mendis & vitiis abjectis, formas illas contemplatus quæ immutabiles atque æternæ ſunt. Reſpicit enim poeta τὸ καθόλε, id eſt univerſale. Hujus rei exemplum animadvertere poſſumus in Hecuba Euripidis Tragœdia. Sunt in ea perſonæ variæ, quibus diverſi quoque morum χαρακτῆρες tribuuntur, omnes tamen in ſuo genere abſoluti, atque, ut Græci loquuntur, ἀκριβῶς. Polyxena, virgo regia, Priami & Hecubæ filia, matrem hortatur ut ipſam ſinat ad Achillis tumulum interfici: quod Ulixes flagitabat. Eſt hoc rarum in puella: meticuloſum enim eſt mulierum genus, molle, ignavum. Eam tamen poeta proponere voluit tamquam exemplum generoſi & invicti animi, qui ſervituti ac turpi vitæ mortem honeſtam præoptet. Quæ igitur puellis vulgaribus non convenire videntur, ea mirum in modum conveniunt huic exemplo fortitudinis a poeta formato. In eadem Tragœdia Hecuba ſignificat viciſſitudinem rerum humanarum: exemplum quoque eſt callidi conſilii, quo uſa eſt in ſumendo ſupplicio de Polymeſtore Thracum rege, qui Polydorum He-

Hecubæ filium per dolum occiderat. Polymeſtor παράδειγμα eſt avaritiæ, prava & ſceleſta multa ſuadentis: idemque, ob pœnas quas Hecubæ dedit, effoſſis oculis, & amiſſis liberis, vindictam divinam in ſe ſpectandam proponit. Polydorus exemplum eſt divitis, cui opes ingentes periculum atque infortunium creant. Agamemnon, qui pro Hecuba adverſus Polymeſtorem excæcatum & liberis orbatum ſententiam pronuntiat, æqui judicis perſonam ſuſtinet. Formam igitur virtutis & vitii accuratam, & cui nihil deſit, poeta exhibet: nam ei fingere licet, rebuſque ab hiſtoria petitis addere multa de ſuo. Hiſtoricus a fide rerum geſtarum ne latum quidem unguem diſcedere debet. Poetica igitur magis accedit ad philoſophiam quam hiſtoria, eidemque dignitate antecellit.

Præterea difficilius & operoſius eſt poetæ munus. Neque enim ſolum conſiderat poeta quid factum fuerit, ſed etiam quid fieri oportuerit, quid decuerit. Probabilis igitur & decori ſtudioſus eſt. Nemo autem facile dixerit, quanta prudentia, quanto rerum uſu ſit opus ad omnes omnium mores apte exprimendos, & κατὰ τὸ πρέ-

πων. Si tragicus poeta vel epicus, verbi cauſſa, Ajacem furentem deſcribendum ſuſcipiat; conſiderabit primum, cujuſmodi ſint inſani, & qui ſint mores magnanimorum. Hoc autem ipſum non mediocris prudentiæ videtur: ſed alia præterea neceſſaria ſunt. Oportet enim formam inſani componere cum forma magnanimi, & quid ex ea commixtione fiat, pervidere. Quemadmodum enim principum virorum cogitationes, verba, facta, mores, a cogitationibus, verbis, factis, moribus vulgarium hominum prorſus differunt dum utrique ſani ſunt; ita ſi eos inſanire aliquando contingat, non idem erit in utriſque, at plane diverſus, inſaniendi modus. Horum autem modorum varietatem diſcernere ſolius prudentis eſt. Quo igitur prudentior aliquis erit, eo magis poterit in perſonis fingendis decorum ſervare. Ob eam fortaſſe cauſſam Sophocles, qui magiſtratibus apud Athenienſes functus eſt, datuſque Pericli egregio imperatori collega in expeditione contra Samios, adeo magnifice loquitur in Tragœdia, regumque, ducum, heroum ſermonem accurate imitatur. Ab honoribus nimirum & rebus geſtis animum & ſpiritum ſum-

ſumſerat, ipſoque rerum uſu prudentiam didicerat. Iccirco poeſis mediam quodammodo naturam obtinet inter philoſophiam & hiſtoriam. Conſentit philoſophiæ, quod rerum genera contempletur: ab ea tamen differt, quod ſingularia exponat. Hiſtoriæ affinis eſt, quod ſingularia perſequatur: ſed ab eadem recedit, quod in iis exponendis rationem præcipue generis habeat. Ex hac porro diſputatione colligimus, jure ab Ariſtotele ſcriptum in libro περὶ ποιητικῆς, φιλοσοφώτερον καὶ σπουδαιότερον ποίησιν ἱστορίας εἶναι.

CAPUT XI.

Præcipuæ poematum formæ ſigillatim conſiderantur. Tragœdiæ, Comœdiæ, Epopœjæ, Dithyrambicæ ac Lyricæ poeſeos propria & definita munera. Dithyrambicos etiam & Lyricos poetas imitationi operam dare.

DOCUIMUS adhuc, poetarum ſtudiis mores populi corruptos emendari: nunc rem in pauca contrahamus, & præcipuas poematum formas conſideremus. Sunt igitur quæ pertineant ad omnem omnino poe-

poeſin, cujuſmodi eſt illud, metrum poetis neceſſarium eſſe, ac fortaſſe illud etiam, poeſin eſſe imitationem: ſunt præterea quæ non omni poematum generi, ſed ſingulis tantum formis convenire videantur. Quamobrem in libello de Re Poetica quærit Ariſtoteles, ἥντινα δύναμιν εἶδος ἕκαστον ἔχει, *quam vim habeat ſpecies unaquæque*. Δύναμις eo loco facultatem ſignificat, nempe id quod ſpectatur & efficitur ab unaquaque forma poeſeos. Verbi cauſſa, propoſitum eſt Tragœdiæ, per miſericordiam & metum, hominum ſuperbiam & ferocitatem comprimere; quam ſint fluxæ ac fragiles res humanæ, quam nulli fortunæ confidendum ſit, exemplo regum & heroum divites & potentes edocere. Hæc igitur facultas & virtus eſt Tragœdiæ. Rurſus Comœdia mores popularium ſuſcipit corrigendos, jocis & voluptate adminiſtra, ipſaque deteriorum imitatione. Sicuti enim quum ebrios videmus, quam turpe vitium ſit ebrietas, facile intelligimus: aſpectus autem iratorum nos admonet ut ab ira, brevi furore, diligenter caveamus: ita quum ſenes avaros, adoleſcentes prodigos & diſſolutos, lenones perjuros, meretrices blandas,

eda-

edaces paraſitos, callidos & nequam ſervos in Comœdiis graphice deſcriptos, & ſuis coloribus pictos aſpicimus, hæc vitia ex animis noſtris pellenda & longe arcenda eſſe cognoſcimus. Comœdia itaque hoc edictum quaſi proponit:

Inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas omnium
Jubeo: atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.
Hoc facito: hoc fugito: hoc laudi eſt: hoc vitio datur.

ut eſt apud Terentium in Adelphis (Act. 3. Sc. 4.) Sic veteres quidem opinati ſunt de comicorum facultate: eorum tamen oportet meminiſſe quæ ſuperius dixi cap. 7. quum de Comœdiæ vitiis verba facerem. Epopœja quoque virtutis amorem atque honeſtatis in animos legentium inſtillat, a pravis conſiliis turpibuſque factis retrahit, quum & meliores & deteriores, prout res & occaſio tulerit, imitetur: copioſiore etiam ſermone utatur quam Tragœdia & Comœdia: nam & longius tempus comprehendit, & illis amplior omnino eſt. Epopœjæ munus definivit Horatius (Epiſt. 2. lib. 1.) his laudibus quas tribuit Homero:

Qui

Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius & melius Chryſippo & Crantore dicit.

Poſtremo Dithyrambice, quæ continet etiam Lyricen, proprium id & ſingulare habet, ut Deum reſque divinas laudibus efferat, feſtos dies & convivia exhilaret, celebret ſacrorum certaminum victores, juvenum & puellarum amores tractet, funera defleat: quæ ſingula partim honeſta ſunt., partim jucunda. Hæc eſt facultas ſeu δύναμις Dithyrambices. Horatius id teſtatur in Epiſtola ad Piſones v. 83.

Muſa dedit fidibus divos, pueroſque deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Idem ita cecinit de Pindaro Ode 2. libri 4.

Flebili ſponſæ juvenemve raptum
Plorat, & vires animumque moreſque
Aureos educit in aſtra, nigroque
Invidet Orco.

Non eſt hoc loco prætermittendum, etiam Dithyrambicæ poeſi, ut & Lyricæ, quæ Dithyrambicæ proxima eſt, humanæ alicujus actionis imitationem plerumque propoſitam eſſe. Quamquam enim Lyricus poeta

ipſe loqui videatur, non alterius perſonam ſuſtinere; ſi quis tamen accuratius rem introſpiciat, inveniet, ab eo quoque diverſos hominum mores, diverſos motus animorum carmine deſcribi: & in eo quoque poematis genere latere imitationem, tametſi minus perfectam eâ quæ in dramaticis poematis animadverti poteſt. Nam & veteres fabulas Lyrici tractant, & illuſtres perſonas inducunt amantes, dolentes, iratas, gaudio percitas, ipſiſque ſententias & dictionem convenientem affingunt: præterea, fictis nominibus nonnumquam utuntur, & a rebus ſingularibus ad genus ipſum aſcendere amant. Id vero faciunt aut modo Tragicorum, nempe ſuam perſonam prementes & procul auferentes, alienam producentes: aut more Epicorum, & ipſi videlicet narrantes, & idemtidem orationem aliorum imitati. Dolendum eſt, Alcæi, Sapphus, Bacchylidis, Ibyci, Steſichori, Alcmanis, Simonidis, Corinnæ, & aliorum Græcorum poetarum qui Lyrici appellati fuerunt, carmina elegantiſſima intercidiſſe. Nam ſi ea ſupereſſent, ex iis præclara imitationis poeticæ exempla peti atque hauriri poſſent. Hoc tempore ſuperſunt nonnulla

Pin-

Digitized by Google

Pindari & Anacreontis, tamquam ingentis naufragii apluſtra & reliquiæ. Animadvertimus etiam in illis non obſcura imitationis veſtigia. Quis enim credat, Teïum Anacreontem, ſapientem virum, & provecta ætate, ſemper de ſuis amoribus loqui? Potuit ille facile ita ludere, atque in argumento ficto verſari, ut jucundum ἀκρόαμα convivio pararet: quod ſane longe veri ſimilius videtur. Quis item exiſtimet, eumdem ebrioſum fuiſſe, atque exſiccandis poculis unice deditum, quamquam id ejus carmina præferunt? nemo certe qui ſapiat. Non ſunt hæ poetarum deliciæ vulgari trutina penſitandæ. Ovidius libro 2. Triſtium (v. 355.) rem totam ſatis oſtendit, quum ita de ſe ipſo:

Magnaque pars operum mendax & ficta meorum
Plus ſibi permiſit compoſitore ſuo.
Nec liber indicium eſt animi; ſed honeſta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta refert.
Accius eſſet atrox; conviva Terentius eſſet;
Eſſent pugnaces qui fera bella canunt.

Ceterum, tametſi Lyricorum Græcorum ſcripta pleraque omnia perierunt, ex uno Lyri-

Lyrico Latino Horatio damnum ex eorum jactura contractum facile reſarciri poteſt. Horatius enim *feliciter audax*, ut ait Quinctilianus, illorum virtutes carminibus ſuis expreſſit: atque in ſimilibus fere argumentis ingenium ac ſtilum exercuit. Porro apud ipſum non ſemel occurrunt exempla poeticæ imitationis. Primum enim fictas perſonas inducit, aut ſaltem veras quidem, ſed fictis & commutatis nominibus, Pyrrham puta, Lydiam, Thaliarchum, Leuconoen, Telephum, Tyndariden, Glyceren, Lalagen, Chloën, Damalin, Licymniam, Aſterien, Lycen, Neobulen, Nearchum, Ligurinum, & plures alias. Deinde adoleſcentium amores ac laſciviam deſcribit, qui meretricum januas & puellarum quas diligerent, noctu occentarent, ut Plautino verbo utar. In quo genere excellit Ode 10. lib. 3. quæ ita incipit:

Extremum Tanaim ſi biberes, Lyce,
Sævo nupta viro, me tamen aſperas
Porrectum ante fores objicere incolis
Plorares Aquilonibus.

Imitationem continet epicæ imitationi non diſſimilem Ode 15. libri 1. cujus initium eſt:

Pa-

Paſtor quum traheret per freta navibus
Idæis Helenam perfidus hoſpitam ;
Ingrato celeres obruit otio
Ventos, ut caneret fera
Nereus fata -- -- -- -- -- -- --

In hac enim Ode Horatius, quod epici ſolent, ipſe ex perſona ſua narrationem orditur, poſtea Nereum maris deum inducit vaticinantem, ac Paridi Helenæ raptori futura mala, nempe bellum atrox, ac Trojanorum excidium, præcinentem. Exemplum Dramaticæ imitationis præbet Ode 9. libri 3. a Julio Scaligero tantopere laudata, ubi Horatius & Lydia inter ſe colloquuntur. Nemo autem objiciat, in ea Ode poetam ipſum loqui, & iccirco non eſſe illam δραματικὴν, quoniam Dramatis proprium ſit, poetæ perſonam omnino celare. Nam Horatius ibi non loquitur tamquam poeta, ſed ut perſona quælibet a poeta introducta. Cujus rei argumentum id etiam eſt, quod Horatii nomen in eo carmine nuſquam comparet. Arbitror igitur, me oſtendiſſe, Lyricos quoque poetas plerumque imitari.

CA-

Digitized by Google

Caput XII.

Magnam utilitatem percipi ab Oratoribus ex lectione optimorum Poetarum. Sublimitas dictionis poeticæ: cujus exempla nonnulla proponuntur. Ejus quinque fontes uberrimi a Dionyſio Longino indicati.

JAM poſtremum illud explicandum eſt propter quod ſtudia poetarum utilia eſſe dixeramus. Primum enim ex re poetica monuimus colligi fructum Voluptatis: alterum Emendationis morum popularium: tertium ornandæ ac perficiendæ Oratoriæ Artis; quæ in pleriſque civitatibus honeſta & præclara habetur. De duobus illis prioribus ſatis multa verba fecimus: ad ultimum quod ſupereſt, aggrediamur. Libro tertio Rhetoricorum præcipit Ariſtoteles Oratori futuro, ut dictionem ſuam ab uſitata & quotidiana loquendi conſuetudine abducat. Solent enim homines res novas, externas, peregrinas admirari, domeſticas & vulgares faſtidire. Propterea qui cauſſas acturi ſunt apud judicem, vel in ſenatu dicturi, abjectum & humile orationis genus vitare

debent, ne in auditorum odium, contemtum, faſtidium incurrant. Danda igitur opera eſt ut oratio novis quibuſdam ornamentis eluceat, neque de trivio arrepta, ſed peregrina audientibus videatur: ſic enim eos attentos efficiet, ac blanda jucunditate detinebit. Poetæ porro hujus admirabilis, novæ, jucundæ, peregrinæ dictionis excellentes magiſtri ſunt. Id tantum cavendum eſt Oratori, ne poetico inſtrumento immoderatius abutatur: quum poetarum licentia major omnino ſit, ac nullis prope terminis definita. Agunt enim poetæ, ſi Comicos & Satyricos excipias, de rebus & perſonis quæ a vulgo plerumque remotæ ſunt: puta de diis immortalibus, de cælo & ſideribus, de regum & heroum fortunis & caſibus: hæc autem cauſſa eſt cur poetica oratio majorem dignitatem & ſplendorem obtinere videatur. Quod olim animadvertit vir diſertiſſimus Iſocrates in Evagora. Ipſa ejus afferam verba: *Τοῖς μὲν γὰρ ποιηταῖς πολλοὶ δέδονται κόσμοι· καὶ γὰρ πλησιάζοντας τοῖς ἀνθρώποις τοὺς θεοὺς οἷόν τ' αὐτοῖς ἐστὶ ποιῆσαι, καὶ διαλεγομένους, καὶ συναγωνιζομένους, οἷς ἂν βουληθῶσι· καὶ περὶ τούτων δηλῶσαι, μὴ μόνον τοῖς τεταγμένοις ὀνόμασιν, ἀλλὰ τὰ μὲν ξένοις, τὰ δὲ καινοῖς,*

νοῖς, τὰ δὲ μεταφοραῖς, καὶ μηδὲν παραλιπεῖν, ἀλλὰ πᾶσι τοῖς εἴδεσι διαποικίλαι τὴν ποίησιν. Τοῖς δὲ περὶ τοὺς λόγους οὐδὲν ἔξεστι τῶν τοιούτων, ἀλλ' ἀποτόμως καὶ τῶν ὀνομάτων τοῖς πολιτικοῖς, καὶ τῶν ἐνθυμημάτων τοῖς περὶ αὐτὰς τὰς πράξεις ἀναγκαῖόν ἐστι χρῆσθαι. Πρὸς δὲ τούτοις, οἱ μὲν μετὰ μέτρων καὶ ῥυθμῶν ἅπαντα ποιοῦσιν, οἱ δ' οὐδενὸς τούτων κοινωνοῦσιν· ἃ τοσαύτην ἔχει χάριν, ὥστ', αὖ καὶ τῇ λέξει, καὶ τοῖς ἐνθυμήμασιν ἔχει κακῶς, ὅμως ταῖς γε εὐρυθμίαις καὶ ταῖς συμμετρίαις ψυχαγωγοῦσι τοὺς ἀκούοντας. id eſt: *Poetis ornamenta multa conceſſa ſunt. Iis enim licet deos miſcere hominum cœtibus, ac introducere colloquentes, & adjuvantes in prœliis quoslibet: atque hæc eadem explicare verbis non uſitatis tantum, ſed alia peregrinis, alia novis, alia translatis: nihil denique prætermittere quo poeſin queant figurarum omni genere variare. Oratores autem nullam hujuſmodi facultatem habent, ſed quum verbis vulgatis, tum iis uti ſententiis quas res ipſæ ſuppeditant, omnino coguntur. Jam illi verſibus & numeris devinciunt omnia: hi nullum tale adjumentum habent. Quibus in rebus tantum venuſtatis ineſt, ut etſi neque verba poematum, neque ſententiæ præclaræ fuerint, ipſa tamen concinnitas numerorum, aptæque dimenſiones demulceant auditores.* Itaque

 ſolu-

ſoluta oratio circa inferiora plurimum occupata eſt: (Theologorum conciones, & Philoſophorum ſermones ſemper excipio) forenſes controverſias, negotia privatorum, res civiles atque communes agitare conſuevit: nihil igitur mirum ſi paucioribus utitur ornamentis quam dictio poetarum. Verumtamen hæc ipſa ornamenta, hæ dicendi veneres Oratoribus conceſſæ, ex theſauris poeticis locupletiſſimis commodius quam aliunde promuntur.

Nam ſublimis oratio, ſi Dionyſium Longinum, Rhetorem ſapientiſſimum, audimus, ex quinque fontibus uberrimis duci ſolet. In his principem locum obtinet animi magnitudo: ſiquidem homines ingenti animo atque excelſo, nihil humile cogitant, nihil ſordidum, nihil abjectum, ſed illuſtria omnia, præclara, magnifica, minime vulgaria. Hujuſmodi autem cogitationes genus dicendi ſubſequitur elatum, ſublime, affectibus & figuris vehementibus concitatum; quod auditorum animos non commoveat ſolum, ſed etiam inflammet, ac ſecum magno impetu abripiat. In hoc autem genere poetas excellere, nemo eſt qui negare poſſit. Ad hanc enim ſublimitatem oratio-

nis,

nis, ad hanc vim, ad hunc impetum ab ipſa natura facti quodammodo atque inſtituti poetæ videntur: qui ſi non temere ferantur, ſi rationem in conſilium adhibeant, ſi ſe quaſi quibuſdam frenis artis regi ac temperari patiantur, ſi quo loco, modo, tempore, apud quas perſonas his egregiis orationis luminibus utendum ſit, prudenter circumſpiciant, ipſum naturæ bonum adaugent, ac mirum in modum perficiunt. En quomodo poetarum princeps Homerus Iliados libro 5. de curribus & equis deorum loquatur:

Ὅσσον δ' ἠεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν
Ἥμενος ἐν σκοπιῇ, λεύσσων ἐπὶ οἴνοπα πόντον·
Τόσσον ἐπιθρώσκουσι θεῶν ὑψαύχενες ἵπποι;

Quantum, purpurei proſpectans æquora ponti,
Aeris, inſidens ſpeculæ vir lumine luſtrat,
Tantum animoſa deûm ſpatii proculcat equûm vis.

Quibus verſibus recitatis, hæc ſubjungit Longinus: τὴν ὁρμὴν αὐτῶν κοσμικῷ διαστήματι καταμετρεῖ. i. e. *impetum ſeu ſaltum eorum ipſo mundi ſpatio dimetitur*. Magnifica porro ſunt & illa Virgiliana ex Æneidos 3. de Polyphemo Cyclope:

-- -- -- *graditurque per æquor*
Jam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit.

 Hæ

Hæ poetarum *ὑπερβολαὶ* (quis non videt?) ſpiritum & animos Oratori ſufficiunt, neque illum humi repere ac jacere ſinunt.

Alter ſublimitatis fons, quem aperuit ipſa natura, eſt vehemens animi perturbatio: videmus enim, dolentes aut iratos eloquentiam ab affectione plerumque nanciſci: eorumque orationem ſonantibus verbis, gravibus ſententiis, acerrimiſque figuris abundare. Tres præterea ſublimitatis origines in arte poſitæ ſunt. Primam Longinus eſſe docet aptam figurarum conformationem: alteram, gravem & ſplendidam elocutionem, quæ aut in delectu verborum, aut in commutata factaque dictione conſiſtit: *τροπικὴν καὶ πεποιημένην λέξιν* Græci appellant: poſtremam, quæ reliquis omnibus, ut ita dixerim, faſtigium imponit, numeroſam & cum dignitate incedentem compoſitionem. Quantum e ſingulis fontibus hauriant poetæ, nemini eruditorum obſcurum eſt. Primum enim, ſi perturbatione animi aliqua ipſi agitentur ac tranſverſi ferantur, amore puta, odio, indignatione; illorum carmina quam dulcia, quam flebilia, quam acria, incitata, vehementia ſunt! quibus numeris contorta, quibus vibrantia luminibus! Id

et-

etiam contingit ſi alienam perſonam induant, alienoſque affectus & ſermones imitentur: quod ſane poeticæ facultatis opus præcipuum & difficillimum eſt. Audiamus quomodo loquatur Dido apud Virgilium amore perdita, & ei quem amaret, vehementer offenſa:

Diſſimulare etiam ſperaſti, perfide, tantum
Poſſe nefas? taciturſque mea diſcedere terra?
Nec te noſter amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quin etiam hiberno moliris ſidere claſſem,
Et mediis properas aquilonibus ire per altum,
Crudelis? quid ſi non arva aliena, domoſque
Ignotas peteres, & Troja antiqua maneret,
Troja per undoſum peteretur claſſibus æquor?
Mene fugis? per ego has lacrimas, dextramque tuam te
(Quando aliud mihi jam miſeræ nihil ipſa reliqui)
Per connubia noſtra, per inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum, miſerere domus labentis, & iſtam,
Oro, ſi quis adhuc precibus locus, exue mentem.

Et nonnullis interjectis :

Saltem ſi qua mihi de te ſuſcepta fuiſſet
Ante fugam ſoboles, ſi quis mihi parvulus aula
Luderet Æneas, qui te tamen ore referret;
Non equidem omnino capta aut deſerta viderer.

Hactenus vero blandius & mollius, nondum ſcilicet ſpe omni depoſita, Æneam diſceſſurum allocuta eſt. Quum porro ille in eadem ſententia conſtantius perſeveraret, neque ullis amantis reginæ precibus flecteretur, & ſe fato Joviſque juſſis urgeri diceret ut alio migraret,

Talia dicentem jamdudum averſa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
Luminibus tacitis, & ſic accenſa profatur:
Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,
Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.

Mox diis ipſis convicium facit:

-- -- -- -- *Jam jam nec maxima Juno,*
Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis.

Deinde graviſſimis verbis exprobrat Æneæ beneficia quæ in illum contulerat, tamquam ingrato & immemori; propinquas pœnas denuntiat; odium immortale, perpetuas inimicitias, & certam ultionem minatur:

Nuſ-

Nuſquam tuta fides. ejectum litore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.
Amiſſam claſſem, ſocios a morte reduxi.
Heu furiis incenſa feror! nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo
Interpres divûm fert horrida juſſa per auras.
Scilicet is ſuperis labor eſt: ea cura quietos
Sollicitat. neque te teneo, neque dicta refello.
I, ſequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Spero equidem mediis, ſi quid pia numina poſſunt,
Supplicia hauſurum ſcopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. ſequar atris ignibus abſens.
Et quum frigida mors anima ſeduxerit artus,
Omnibus umbra locis adero. dabis, improbe, pœnas.
Audiam, & hæc manis veniet mihi fama ſub imos.

Hæc ſunt divina divini poetæ portenta: ſumendum enim fuit ab illuſtri monumento exemplum excitandorum affectuum. Hæc ſunt quæ ab Auguſtino, egregiæ tunc indolis adoleſcente, (neque ipſe diſſimulat lib. 1. Confeſſionum cap. 13.) quum ea idem legeret, vel recitari audiret, in re

ficta

Digitized by Google

ficta veras lacrimas elicuerunt. En quomodo præſtantium poetarum oratio, quum ii ſuos vel alienos affectus exprimere volunt, impetu ac perturbatione plena ſit. Hanc igitur ad imitandum ſibi proponere debet Orator, quotieſcumque judices ad indignationem, ad miſericordiam, ad metum, vel ad alium quemlibet motum animi concitare ſtudet. Nam, *ſi vis me flere* (ait Horatius in Epiſtola ad Piſones) *dolendum eſt Primum ipſi tibi: tua tunc me infortunia lædent*. Civis quidam olim ad Demoſthenem venerat, ſummum illum Athenienſem oratorem, ut eo patrono uteretur adverſus quemdam, a quo ſe vulnus accepiſſe dicebat: quum autem id lente ac remiſſe peteret, negavit Demoſthenes, eum vera narrare, dixitque, ſe illius patrocinium ſuſcipere nolle. Tum vero civis elata voce clamare cœpit ac vociferari, veriſſimum eſſe quod narraſſet, & ſe gravi contumelia atrocique injuria reapſe affectum: itaque ardentibus oculis, & ſumma cum indignatione ab oratore diſcedebat. Hæc irati offenſique animi ſigna Demoſthenes animadvertens, eum revocavit, & ſic allocutus eſt: *Nunc demum intelligo te vera dicere, quum ani-*

mi dolorem oſtendas. M. Calidius, homo diſertus, Q. Gallium accuſabat veneficii, indicia mortis ab eo ſibi intentatæ ſe manifeſto comperiſſe dicebat: verum tam ſolute, tam leniter, tam oſcitanter, denique tam frigide cauſſam agebat, ut Cicero facillime accuſatorem his verbis refutaverit: *Tu iſtuc, M. Calidi, niſi fingeres, ſic ageres? preſertim quum iſta eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime ſoleas, tua negligeres? Ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere voces & querelas ſolet*. Hæc autem affectuum concitandorum ratio, quæ a poetis petenda eſt, quum in ceteris partibus orationis, tum in extrema præcipue locum habet. Docemur enim ab Ariſtotele libro tertio Rhetoricorum, capite 49., in peroratione, poſt amplificationem & diminutionem, contendendum eſſe omni ope ut animos audientium commoveamus: hoc ènim eo loco ad victoriam obtinendam valere plurimum. Qua in re mirum artificem ſe præſtitit M. Cicero, ut ſæpe adverſarios de ſtatu dejecerit, ſicut ipſe gloriatur in Oratore ad Brutum. Declarant hoc ejus ἐπίλογοι, ſeu concluſiones; quæ tam vehementes & incitatæ ſunt,

ut

ut etiam poſt ſeptemdecim ſæcula lectæ tantummodo, inflammare tamen animos & conturbare videantur.

Quod attinet ad aptam figurarum conformationem, ſplendidam ac translatam elocutionem, numeroſam & dignitatis plenam compoſitionem; quæ tria, ſublimitatis fontes, non ab natura quidem, ſed ab arte patefactos, Longinus eſſe tradit; nemo non videt, quantam utilitatem e ſcriptis poetarum capere poſſimus, ad vim & ornatum orationi, per hæc omnia, conciliandum. Regnant enim poetæ in hoc præcipue genere: quum iis propoſitum ſit, a vulgari & quotidiana dicendi forma diligenter abſtinere. Variant iccirco & diſtinguunt orationem figuris inſignibus, eam ab humo hac ratione attollentes, commutatis verbis & locutionibus libentius utuntur quam propriis: metrum poſtremo & numeros ubique adhibent: quibus rebus in unum conſpirantibus, admirabile illud, ſublime, jucundum, perfectum, divinum exſiſtit, quod hominum animos tantopere demulcet, ac quocumque poetæ ipſi voluerint, vel invitos rapit. Cavendum tamen eſt Oratoribus ne paria cum poetis facere velint: neque

enim

enim licet illis delectationi & voluptati aurium officioſe nimis inſervire: frigidum enim id eſſet ac putidum: artis præterea ſuſpicionem injiceret; quæ res forenſibus cauſſis maximum detrimentum afferre ſolet. Bonus Orator, verbi cauſſa, non dicet, *mare velivolum*, ut Virgilius: neque, *Cyrenas laſerpiciferas*, aut, *cervam ſilvicultricem*, aut, *aprum nemorivagum*, quæ Catullum dicere decuit: non frequentes & accuratas comparationes inculcabit, quæ in libris poetarum paſſim occurrentes tantopere laudantur: raro admodum verba conjunget, raro vocibus peregrinis, antiquis, obſoletis utetur: ſciet denique ſuis finibus contineri, qui ſane anguſtiores ſunt, neque per latiſſime patentes poeticæ diſciplinæ campos libere ſpatiabitur: ſuam provinciam tuebitur, ornabit, neque ad alienam tamquam deſertor, ſed tamquam ſpectator & explorator, accedet. Placet locum Ciceronis afferre ex libro 3. Tuſculanarum Quæſtionum, qui locus de jure poetarum agit, & unice ad rem noſtram facit: *Non dixi, in invidiam, quæ tum eſt quum invidetur: ab invidendo autem invidentia recte dici poteſt, ut effugiamus ambiguum nomen in-*

vi-

vidiæ: quod verbum ductum eſt a nimis intuendo fortunam alterius, ut eſt in Menalippo:

Florem quiſnam liberûm invidit meûm?

Male Latine videtur, ſed præclare Accius: ut enim videre, ſic invidere florem rectius, quam flori dicitur: nos (Oratores videlicet) *conſuetudine prohibemur: poeta jus ſuum tenuit, & dixit audacius.*

CAPUT XIII.

Quo præcipue inter ſe differant Orator & Poeta. Metrum & Spiritum Poeticum eſſe formam Poeſeos. Metrum Poetæ neceſſarium, quum poemata inventa fuerint ut canerentur. Qui fabulas tractant, principem locum inter Poetas obtinere. Tragici Poetæ imitantur perfectiſſime. Enumerantur plures auctores qui ſine fabula carmen ſcripſere. Imitatio poetica multiplex. Ea non eſt niſi πραττόντων, ſcilicet agentium. *Imitationis & Deſcriptionis differentia. De Imitatione Lyricorum hiſque ſimilium Poetarum. Poetæ cum pictoribus comparati.*

SATIS oſtenſum eſt, ſublimem & valde concitatam eſſe Poetarum dictio-

ctionem, unde Oratores quoque non exiguam utilitatem capere poſſint. Nunc diſcrimen præcipuum indicare ſtatuimus quo Poeta differt ab Oratore, & ab aliis præterea ſcriptoribus. Dicimus igitur cum viris doctiſſimis, duo in primis eſſe quæ formam poeſeos conſtituant, metrum, & ſpiritum poeticum, nempe genus dicendi a populari & quotidiano longe remotum. Non deſunt nihilominus qui duobus hiſce fabulam addant, ſive argumentum fabuloſum, tamquam futuro poetæ prorſus neceſſarium. At hi quidem ultra quam par eſt poetarum cohortem imminuunt, & nimis multos ex illorum albo expungere ſtudent, qui vel hiſtoriam, vel diſciplinas, vel artes verſibus excolendas ſuſceperunt, idque elegantiſſimo ac vere poetico ſtilo præſtiterunt: & propterea doctorum atque indoctorum judicio poetæ habentur. Sane, qui fabulas tractant, principem locum inter poetas obtinere videntur. Icciroo Ariſtoteli perſuaſum fuit, eos tantummodo poetarum nomine dignos eſſe qui proprie ac vere imitentur metro, ſive oratione certis pedibus incedente, id eſt certa quantitate ſyllabarum contexta & colligata, quæ oratio

car-

carmen appellatur. Ad hanc porro legitimorum & numeris omnibus abſolutorum poetarum claſſem ipſe refert eos qui partim ex propria, partim ex aliena perſona loquuntur, & ſic imitationem efficiunt; cujuſmodi eſt Homerus, & Epici reliqui rationis Homericæ ſectatores: illos præterea qui alienam perſonam ſumunt, ejuſque actiones, mores, verba, ſententias imitari conantur: quorum haud unum genus eſt. Nonnulli enim perſonam quam introducunt loquentem, numquam immutant, & omnia ex illius ore proferunt, quales erant olim Dithyrambici, atque interdum etiam Lyrici, Dithyrambicis valde affines; alii vero perſonas variant, ita ſcilicet ut plures inducant colloquentes, unaque tantiſper e conſpectu remota ſubſtituant alteram, definitis quibuſdam vicibus, prout negotia poſtulaverint; perſonam interea poetæ ſemper prementes, atque a ſpectatorum oculis auferentes. Hi poetæ, quoniam imitantur eos qui agunt, Græco vocabulo dicti ſunt δραματικοὶ, ἀπὸ τοῦ δράματος, nempe *a facinore*, *facto*, *actione*: & illorum poemata, δράματα, ἀπὸ τοῦ δρᾷν, *ab agendo*, quod in iis actiones repræſententur & exprimantur. Hæc

po-

poſtrema poetarum claſſis Tragicos & Comicos præcipue, ſed etiam Satyrici Dramatis, quod olim viguit apud Græcos, & aliorum poematum ſimilium auctores comprehendit. Quum igitur vera & legitima poeſis in imitatione conſiſtat, qui poetæ imitantur perfectiſſime, nimirum & perſonam ſuam ſemper celantes, & illuſtria nobilium perſonarum facinora carminibus exprimentes, iis anteponendi ſunt dignitate qui minus perfecte imitationem abſolvunt, ſcilicet vel perſonam ſuam interponentes, vel perſonas alienas imitati quidem, ſed eas viles, vulgares, e plebe media. Atqui Tragici poetæ imitatione utuntur perfectiſſima, nam & regum, ducum, heroum actiones repræſentant, neque proferunt quicquam tamquam ex perſona ſua: Epici vero illuſtres perſonas loquentes inducunt quidem, ſed ipſi etiam ſæpius ex propria perſona interruptum orationis filum continuant: Comici autem quamvis cum Tragicis eo conveniant, quod perſonam poetæ omnino premant, & aliorum facta dictaque ſolum repræſentent, viles tamen homines & vulgares in ſcenam inducunt: propterea Epicorum & Comicorum poetarum imitatio, ſi

cum Tragica imitatione comparetur, minus perfecta eſt. Icciirco Ariſtoteles, hoc argumento uſus, Tragœdiam ceteris poematum generibus dignitate atque præſtantia longe anteferre non dubitat. Concedamus vero, fabularum auctores in ſumma poetarum claſſe collocandos eſſe: non ideo tamen qui ſine fabula carmen ſcribunt; egregiiſque figurarum luminibus, ceteriſque ornamentis utuntur quæ ad poetas pertinent, a numero vatum & cœtu repellendi ſunt. Quoniam autem imitari poſſumus etiam ſoluta oratione, ac fabuloſum aliquid ſcribere ſine metro; poſſumus contra carmen condere quod nullam contineat imitationem; propterea ſatis veri ſimile eſt, poetam a metro potius, id eſt a faciendis verſibus, quam ab imitatione nomen accepiſſe. Socratici & Platonici Dialogi, quamquam proſa oratione conſcripti, perſonas inducunt colloquentes, earumque ſermonem imitantur: quos Dialogos Ariſtoteles ἐποποιΐαν appellare non dubitat. Hoc enim vocabulum, tamquam genus, comprehendit utramque imitationem, illam videlicet quæ fit verbis communibus, & numeris laxioribus; alteram præterea quæ fit epicis carminibus. Heliodorus puta ſcri-

ptor

ptor Hiſtoriæ Æthiopicæ; Achilles Tatius, cujus exſtat lepida & ſuavis fabella de Amoribus Clitophontis & Leucippes, in octo libros diſtributa; Longus in ποιμενικοῖς; Apulejus Madaurenſis, qui de Aſino aureo libros undecim edidit; Petronius Arbiter in Satyrico; & ſimiles auctores non pauci, ſoluta oratione fabulam ſcribunt, & hominum actiones imitantur. Si quis igitur ipſorum verba metro vinciret, ii ſtatim poetæ fierent, immo in prima poetarum claſſe collocarentur, eorum ſcilicet quibus nec fabula, nec ſpiritus poeticus, nec metrum deeſt. Quamdiu vero carent metro, poetæ dicendi non ſunt, ſed rerum ſcriptores fabuloſi: poemata enim ab antiquiſſimis uſque temporibus inventa & compoſita ſunt ob eam cauſſam, ut canerentur: non poſſunt autem cani ſine metro. Poetica igitur facultas non ſolum circa fabulas verſatur & argumenta ficta: ſed etiam circa res alias, dummodo eæ ornamenta poetica non reſpuant ſuapte natura: quod contingit pluribus diſciplinis mathematicis, & fortaſſe Dialecticæ arti: quamquam Adamus Fumanus, Canonicus Veronenſis, vir in primis doctus, ante duo ſæcula totam λογικὴν ſive ὄργανον

Ariſtotelis Latino carmine, atque egregio quidem explicavit. quod opus admirabile, diutius ἀνέκδοτον, mea tandem cura fratriſque mei CAJETANI, biennio ante, typis deſcriptum prodiit in lucem.

Ad hanc poetarum claſſem pertinent Heſiodus & plures alii poetæ Theologi: Xenophanes, Parmenides, Empedocles, Aratus, Palæphatus Athenienſis, Antiochus Heliopolitanus, Eratoſthenes, Lucretius, Manilius, Scipio Capicius, qui poemata phyſica, vel aſtrologica ſcripſerunt. Terrarum ſitum diligenter metro perſecutus eſt Dionyſius, ab argumento dictus περιηγητὴς, in quem habemus commentarios Euſtathii: præterea ex Latinis Feſtus Avianus, & Priſcianus. Oppiano piſces & quadrupedes canere placuit, Gratio & Nemeſiano Carthaginienſi κυνηγετικὰ, nimirum quæ ad venatum pertinent; quos longo poſt tempore Petrus Angelius Bargæus, in eodem argumento verſatus, plane ſuperavit. Æmilius Macer Veronenſis, poeta Ovidio σύγχρονος, Ornithogoniam carmine conſcripſerat, ſive de Avibus libellum; Ophiogoniam, ſive de Serpentibus; Botanica, vel Rhizotomica, nempe de Herbis & Radicibus: quæ omnia

Ma-

Macri ſcripta longinqua vetuſtate interciderunt. Memorantur & poetæ Medici; puta Damocrates Servilius, Heliodorus, Muſæus. Exſtat etiamnum bonus poeta Nicander, qui ſcripſit Theriaca & Alexipharmaca; præterea Q. Serenus Sammonicus. Magna quoque laus eſt in hoc genere Hieronymi Fracaſtorii, cujus aureolum poema de Morbo Gallico, ad Virgiliani carminis majeſtatem proxime accedit. Huic tamen operi fabellas elegantiſſimas auctor inſperſit, Virgilium ipſum imitatus, qui nimirum in Georgicis componendis eamdem rationem fere ſervaverat.

Alter poetarum campus Hiſtoriâ eſt. Res enim geſtas regum, ducum, & populorum plurimi heroicis carminibus comprehenderunt. Polycritus poema fecerat de rebus Siculorum, Hegemon de Bello Leuctrico, Archias de Cimbrico. Ennius & Furius Romanorum Annales verſibus compoſuerant, Hoſtius avus Cynthiæ Propertianæ Bellum Iſtricum, C. Rabirius Actiacum, Cornelius Severus Siculum, Caninius Dacicum: quæ monumenta omnia, ſi pauca fragmenta excipias, miſerabili naufragio perierunt. Superſunt hoc tempore M. Annæus Lucanus;

auctor Pharſaliæ, ſeu Belli Civilis Cæſaris & Pompeji, & C. Silius Italicus, qui Bellum Punicum ſecundum epico carmine celebravit. Hos autem Critici nonnulli ſuperciliosi poetas eſſe nolunt: ſed injuria; quum & metro utantur, & poetico ſpiritu excellant, præſertim Lucanus.

De Moribus etiam præcepta verſu tradiderunt Theognis, Phocylides, Pythagoræi nonnulli, Horatius in Epiſtolis, Ovidius in Remediis Amoris. Porro Solon, celeberrimus ille νομοθέτης Athenienſium, Leges Civiles ſuas verſibus explicavit, quemadmodum Terpander Lariſſæus Leges Lacedæmoniorum. Denique Horatius Artem ipſam Poeticam, Terentianus Maurus Metricam, elegantibus libellis tradiderunt, hexametro ille, hic vario carminum genere uſi. Qui omnes profecto a fabulis abſtinuere, & nihilominus communi eruditorum ſuffragio in poetis numerantur.

Priuſquam vero de re altera ad poetam formandum neceſſaria, nimirum de ſpiritu poetico, verba faciamus, nonnulla dicenda ſunt de imitatione: quoniam ſuperius cum Ariſtotele affirmavimus, primi ordinis & claſſis poetas, qui ſcilicet fabulas fingunt,

eſſe

eſſe imitatores. Explicemus luculente philoſophi doctrinam. Quicumque imitantur, ait Ariſtoteles, imitantur πράττοντας, nimirum *agentes*. Homines autem ſuis actionibus, quæ manifeſtæ ſunt atque in oculos incurrunt, præbent videndos mores: nam ſine actionum indicio mores in abdito latent. Hi enim afficiunt animum; qui non videtur, ſed actionum quarumdam, variis moribus convenientium, cauſſa & origo eſt, per quas ipſe intelligitur atque cognoſcitur. Porro morum differentia conſiſtit in virtutibus ac vitiis: quapropter mores tribuuntur in bonos & malos. Iccirco imitatores imitari ſolent vel frugi homines, probos, & virtute præditos, quos Græci appellant σπουδαίους, vel contra, nequam, improbos, & vitiis depravatos, qui a Græcis dicuntur φαῦλοι. Quod ſi probos & virtute præditos imitari quis velit, eos effingere poterit vel meliores quam ſit plerumque vulgus hominum, vel ſimiles ceteris hominibus, puta ea bonitate ac virtute ornatos quæ non ſit excellens ac prope ſingularis, verum communis, paſſim occurrens, neque inventu difficilis. Eodem pacto, ſi quis delectetur imitatione improborum, poterit

eos exhibere vel deteriores hominum vulgo, ita ut inſignem atque unicam malitiam iiſdem affingat, vel communi quadam, & , ſi fas eſt dicere, mediocri ac tolerabili improbitate imbutos. Facultates igitur imitatrices tribus quaſi claſſibus diſtare poſſunt, ob rerum differentiam quas imitantur. Earum enim aliquæ imitantur meliores, nonnullæ deteriores, aliæ poſtremo eos qui a moribus noſtris neque virtute, neque malitia multum diſcedunt; quos Ariſtoteles vocat *ὁμοίυς*. Utitur autem philoſophus aptiſſima comparatione ad hanc rem illuſtrandam. Sicuti enim pictura lineis & coloribus imitatur habitum corporis, ita poeſis, & aliæ facultates poeſi proximæ, variis inſtrumentis imitantur habitum animi. Pictores autem præcipue inter ſe differre ſolent, quod non eoſdem homines, at longe diverſos imitentur: ſiquidem Polygnotus, pictor celeberrimus, pingere ſolebat meliores, pulchriores, magiſque proceros, quam ejus temporibus viverent; Pauſon contra deteriores, breviores, ac magis deformes; Dionyſius denique ſimiles, a communi videlicet hominum pulchritudine aut ſtatura in pingendo non diſcedens:

eo-

eodem pacto poeſis, & aliæ artes poeſi affines, hoc quoque inter ſe differunt, quod earum nonnullæ meliorum imitatione gaudeant, aliæ deteriorum, aliæ poſtremo ſimilium.

Illud in primis animadverſione dignum eſt quod ait Ariſtoteles, Quicumque imitentur, imitari πράττοντας, nempe *agentes*. Nulla eſt igitur imitatio proprie dicta niſi præceſſerit actio: nam imitatio eſt unum eorum quæ dicuntur πρός τι, ſive quæ ad aliquid referuntur. Imitatio autem proprie dicta nihil aliud eſt quam adumbratio quædam actionum, ſive illæ bonæ ſint, ſive malæ. Debet autem πρᾶξιν antecedere προαίρεσις. Hac definitione refutari facile poteſt error illorum qui exiſtimant, ſcriptorem, artis cujuſpiam præcepta carmine tradentem; vel de rerum natura diſputantem, vel quidvis aliud quam actiones & mores hominum deſcribentem, imitari tamen, & in prima poetarum claſſe poni & collocari poſſe; illorum ſcilicet qui ſcribendo, imitationem abſolvunt. Non videntur enim ſic exiſtimantes ſatis pervidiſſe quid interſit inter τὸ ὑπογράφειν ſeu *deſcribere*, ac τὸ μιμεῖσθαι ſive *imitari*. Deſcribere dicendi ſunt quicumque

pro-

proſa oratione vel carmine, rerum anima vel intelligentia carentium pulchritudinem, quarum nullæ ſunt nec eſſe poſſunt actiones, exprimere conantur. Ad hunc etiam cenſum pertinent qui res geſtas quidem hominum perſequuntur narratione, ſed non eas tamen repræſentant, id eſt non ob oculos revocant, quaſi in præſentia gererentur: hoc enim proprie eſt imitari. Deſcribunt propterea & narrant hiſtorici, & quicumque hiſtoricorum more carmina ſcribunt, nullam fabulam continentia: in quibus perſonam ſuam aperte produnt, non alienam ſuſtinent. Narrant præterea, docent, præcipiunt, commonefaciunt philoſophi, aſtrologi, & omnes qui artem aliquam vel diſciplinam verſibus comprehendunt ſine fabula; non autem imitantur. Atque ob hanc præcipue cauſſam Epicus poeta minus imitatur quam Tragicus; propterea quod Epicus perſonam ſuam non omnino abſcondit, ſed idemtidem prodit, quamquam & alios paſſim inducit loquentes: Tragicus vero ſe ipſum quodammodo de medio tollit, ac perſonam alienam ſemper induit; ut iccirco res ipſa non enarrari, aut in memoriam revocari, ſed hoc demum tempore geri

ri videatur. Eſt tamen quum Tragicus ad Epicum propius accedit, nimirum quum introducit nuncium aliquem, qui atrocem eventum, puta cædem factam, ſermone referat: tunc enim, Epici poetæ more, nuncius narratione utitur. Quamobrem ſapienter Horatius dixit:

Aut agitur res in ſcenis, aut acta refertur.
Accurate ſcilicet diſtinguit Flaccus ipſam ὑπόκρισιν, rei fictæ nimirum actionem, quæ tamquam vera ſpectatorum oculis exhibetur, a narratione quæ fit per nuncium, & ſegnius animos irritat, quum fidelibus oculis non ſubjiciatur, ſed per aures tantum demittatur. Iccirco Tragœdia ſi multas contineat narrationes, eaſque non neceſſarias, a dramatico ſive activo genere poeſeos aliquantum diſcedere videtur, & ad epicum ſive ἀπαγγελτικὸν accedere; quod tragico poetæ ſedulo cavendum eſt. Hoc autem genere perfectæ imitationis, Comœdiarum ac Tragœdiarum ſcriptores omnino inter ſe conveniunt: niſi quod Tragici imitantur meliores, Comici deteriores. Ceterum & Comici alienam perſonam ſemper gerunt, ſuam abſcondunt: & præterea more Tragicorum nonnullos interdum inducunt qui

rem

rem aliquam procul geſtam aliis enarrent. Illud quoque diligenter conſiderandum eſt, imitatione propterea omnes delectari quia cognita agnoſcunt: in agnoſcendo autem voluptas, quum agnoſcere ſit diſcere. unuſquiſque porro ſuapte natura diſcendi cupidus eſt. Poemata igitur popularia delectant univerſos, quod res ab omnibus cognitas imitantur: poemata philoſophica delectant paucos, quia res a pauciſſimis cognitas in medium afferunt. Deinde quum poeta prœlium deſcribit, non ipſe pugnat, ſed pugnantem imitatur: aliter enim

Accius eſſet atrox; conviva Terentius eſſet;
Eſſent pugnaces qui fera bella canunt,

ut ait Ovidius lib. 2. Triſtium. Hac autem imitatione delectantur vulgares homines. quis enim aliqua ſaltem militiæ cognitione imbutus non eſt? Majorem vero delectationem milites capiunt, quia ipſi probe noverunt ea quæ ad pugnandi rationem pertinent: & quum deſcripta legerint, agnoſcunt. Ita nihilominus delectantur, ut ſi poeta male deſcribat, eos offendat magis ac tædio afficiat, quam vulgus urbanum: cui facilius hoc in genere ſatisfieri ſolet. Hæc doctrina nullo negotio accommodari

pot-

poteſt ad alia quæ a poetis idemtidem attinguntur: ad navigationem puta, cultum agrorum, opificia, & reliqua hujuſcemodi. Contra, ſi poeta inducat in animum ea perſequi quæ ſunt philoſophorum, minus profecto imitatur: ſed potius ipſe facit quod deſcribit; nam reapſe philoſophatur. Exemplo eſſe poſſunt Parmenides, Empedocles, Lucretius, quorum poeſis non fabularum inventione, ſed ſolis numeris ac loquendi genere diſtat a diſputationibus philoſophorum.

Sed Lyrici etiam & Dithyrambici (quibus adjungi poſſunt Elegiaci, Bucolici, Satyrici) haud raro veram & proprie dictam imitationem abſolvunt quum exprimunt alienos affectus, tamquam ſi alii quidam, non ipſi loquerentur: quod ita fieri poteſt, ut vel unus tantummodo loquatur, vel διαλογισμῷ, & δραματικῶς, ut duo vel plures ſimul colloquantur. Petrus Victorius Florentinus in Commentario ſuo ad librum Ariſtotelis de Re Poetica animadvertit, Platonem in altero de Republica libro tribuiſſe Dithyramborum auctoribus modum quemdam peculiarem imitandi; qui modus eſt quum poeta eumdem tenorem perpetuo ſervat, omnia proferens tamquam ex unius perſonæ

ore prodeuntia, quæ numquam varietur atque immutetur. Putat porro idem vir doctiſſimus, Lyricos poetas eadem ratione uſos, quod eſſent Dithyrambicis valde affines. De una perſona a Lyricis plurimum adhibita, haud gravate aſſenſus fuerim Victorio: hæc tamen una perſona, ſi quid video, non eſt perſona ipſius Lyrici poetæ, ut Victorius exiſtimare videtur; nam ſi poeta Lyricus totam cantionem abſolveret ex ſua perſona, fortaſſe nullam imitationem efficeret, ſed potius vere ageret, motumque aut ſententiam animi ſui cantu interprete in apertum produceret: qui autem imitatur, alienos mores, affectus, actiones, verba, ſententias imitatur. Quamobrem Ariſtoteles quum enumeraret varios imitandi modos, genus aliquod poetarum ſignificavit qui unam & eamdem perſonam ſervarent quidem plerumque, ſed alienam certe, non ſuam. Fatetur non invitus & ipſe Victorius, eſſe ubi Lyrici poetæ alienam perſonam ſuſtineant; & exemplum affert Franciſci Petrarchæ, qui cantionem unam confecerit in qua litem inter ſe & Cupidinem, cauſſamque tamquam in foro actam fingit, judice illa nobiliore animi parte cui philoſophi principatum

tum tribuunt, & quam Græci τὸ ἡγεμονικὸν ἢ τὸ κυριώτατον appellant. Hoc nihilominus rarum non eſt, ſed frequentiſſimum apud Lyricos poetas, ut ex aliena perſona loquantur: nam etiam quum ipſi loqui & ſuas affectiones exprimere videntur maxime, alienas imitantur maxime, ſed latenter; quod imperitos in errorem inducit. Anacreon enim quum ebrioſum & amatorem ſe deſcribit, non ſolum fingit & jocatur, exhilarandi convivii gratia, ſed etiam alium quemlibet his moribus præditum καθόλου imitatur; quamquam huic vagæ perſonæ interdum Anacreontis nomen imponit. Parum enim refert, utrum ſuo nomine, an diverſo fabulam cudat. Id & Virgilium feciſſe nonnulli exiſtimant, ut nimirum ſe Alexandri, pueri Mæcenatis ſive Aſinii Pollionis, amatorem fingeret; ſeque Corydonem appellaret, puerum Alexin; quum tamen poeta ille ſummus pudicis moribus & frugi eſſet, atque ab omni factorum dictorumque turpitudine abhorreret, iccirco dictus vulgo Parthenias. Volunt propterea, ſub amatorii carminis cortice medullam philoſophiæ ac recondita myſteria contineri. Quam opinionem D. Auguſtinus etſi non probet, Virgi-

lium

lium tamen intemperantiæ accuſare non audet, quum potuerit Mantuanus poeta omnia fingere animi tantum oblectandi & ſtili exercendi cauſſa. D. Auguſtini verba ſunt in libro de Utilitate Credendi cap. 7. *Nonne cernis, ut Catamitum Bucolicorum, cui paſtor durus effluxit, conentur homines interpretari, & Alexin puerum, in quem Plato etiam carmen amatorium feciſſe dicitur, neſcio quid magnam ſignificare, ſed imperitorum judicium fugere affirment? quum ſine ullo ſacrilegio poeta uberrimus videri poſſit libidinoſas cantiunculas edidiſſe*. Ubertati ingenii, qua pollebat Virgilius, tribuere mavult vir ſanctiſſimus, quam ulli morum corruptelæ, Eclogam illam delicati & mollis argumenti. Neque nos igitur decet Sabino ſupercilio, & cenſoria ſeveritate mores & vitam poetarum ex eorum ſcriptis liberioribus æſtimare: quamvis recte fecerit qui hoc in genere illos imitari noluerit.

Ex his omnibus colligi poteſt, quemadmodum ſummi poetæ nomen ii ſoli mereantur qui actiones & mores hominum carminibus exprimunt, atque adeo proprie imitantur; ita & ſummos pictores ac proprie dictos illos tantum eſſe qui non

res

res anima vel ratione carentes, puta montes, ſilvas, plantas, feras (quamquam & iis laus aliqua debetur), verum homines aut deos, eoſque non otioſos, at aliquid agentes pingere ſolent: in eo enim picturæ præcipua gloria poſita eſt. Huc pertinent verſus Horatii ex Ode 8. libri 4.

-- -- -- -- Neque tu peſſima munerum
Ferres, divite me ſcilicet artium
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas;
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc deum.

Sollertes vocat poeta, nimirum induſtrios & ingenioſos, Parrhaſium pictorem, & Scopam ſtatuarium, quod in fingendis præcipue diis hominibuſque artes in quibus præſtabant, exercerent. Nam quod facile eſt, glorioſum eſſe non poteſt: contra, difficillima, ea præclara & valde laudabilia. Facile autem eſt prata, arva, nemora, pomaria, litora, maris tractus, aves etiam, piſces, quadrupedes apte in tabella delineare, ſi hunc laborem compares cum labore fingendi hominis, quo potiſſimum referri videas pictorum ſculptorumque ſtudia, lucubrationes, exercitationes. Sicuti enim homo præſtantiſſimum eſt naturæ opus, ita etiam

imitatio corporis humani in operibus artificum principem locum obtinet. Quæ ſint rudimenta poetarum pictorumque, nempe opera faciliora, tironibus harum artium proponi ſolita, pulchre notavit Horatius in Epiſtola ad Piſones (v. 14.)

Inceptis gravibus plerumque & magna profeſſis,
Purpureus late qui ſplendeat, unus & alter
Adſuitur pannus; quum lucus & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius deſcribitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortaſſe cupreſſum
Scis ſimulare: quid hoc, ſi fractis enatat exſpes
Navibus, ære dato qui pingitur? — —

& paucis verſibus interjectis:

Æmilium circa ludum faber imus & ungues
Exprimet, & molles imitabitur ære capillos;
Infelix operis ſummâ: quia ponere totum
Neſciet — — — — —

CA-

Caput XIV.

De Spiritu poetico plura. Horatii locus inſignis penſitatus. Nota ſeu χαρακτὴρ ab ipſo propoſita, qua legitimi poetæ a falſis diſtinguantur. Comœdia legitimum poema ſit, necne. Vis comica. De Bucolicis nonnulla.

Nunc eo revertamur unde nos neceſſarius de imitatione ſermo aliquantum deflexerat. Haud igitur ſatis eſt ad poetam conſtituendum, & poeſim formandam, qualecumque argumentum verſibus compoſitum, niſi præterea ſpiritus poeticus acceſſerit, nempe dictio quæ poetam deceat. Si quis enim verſus tantummodo effingat, humile tamen dicendi genus adhibeat, vulgare, ſordidum, quotidianum, neque translationibus ornatum, neque figuris exſurgens, neque electis verbis aptaque illorum collocatione diſtinctum & colligatum, is, ut videtur Quinctiliano, verſificator potius quam poeta dicendus erit. Poetæ, qui quidem hoc nomine ſit dignus, propoſitum ſemper eſt admirationem movere. Immutata vero & variata locutio ma-

gnificam & admirabilem efficit orationem. Nam ſimilitudo, quæ contraria eſt varietati, ſatietatis mater eſt. Propterea quæ ſatietate obtundunt, non excitant animos admiratione. Homines autem ea quæ ante oculos habent quotidie, quamquam optima & eximia, non multum admirantur: nova, rara, inaudita, inuſitata, peregrina, etiamſi mediocria fuerint, ſuſpicere ac laudibus efferre ſolent. Quod quum in rebus aliis omnibus, tum etiam in oratione faciunt. Vulgare & abjectum dicendi genus faſtidiunt, neque illo admodum commoventur: ſi quid auribus acceperint a vulgari conſuetudine remotum, animadvertunt primum, deinde voluptatem capiunt. Igitur ſi & Oratori danda opera eſt, ut identidem a ſermone populari in dicendo recedat; quanto magis poeta curare debet, ut ipſius locutio nova & peregrina videatur, qui vel maxime delectationi aurium ſervit? Certe Græcos poetas aliena quadam lingua locutos, M. Antonius, vir eloquentiſſimus, teſtatur apud Ciceronem libro 2. de Oratore: adeo vocabulis peregrinis abundant, quæ Ariſtoteles *γλώττας* appellat; translatis præterea, figuratis, factis, extenſis,

ſis, contractis. Huc pertinet inſignis Horatii locus e Satyra 4. libri 1. qui de ſcriptis atque ingenio ſuo demiſſe admodum ſentiens, ex poetarum numero ipſe ſe eximit, ſimulque docet, quos haberi poetas oporteat.

Primum, inquit, *ego me illorum dederim quibus eſſe poetis,*
Excerpam numero: neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis; neque ſi qui ſcribat, uti nos,
Sermoni propiora, putes hunc eſſe poetam.
Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.

Et paucis interjectis:

Non ſatis eſt puris verſum perſcribere verbis;
Quem ſi diſſolvas, quivis ſtomachetur eodem
Quo perſonatus pacto pater. His ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa modoſque, & quod prius ordine verbum eſt,
Poſterius facias, præponens ultima primis;
Non (ut ſi ſolvas, POSTQVAM DISCORDIA TÆTRA

BELLI FERRATOS POSTIS PORTASQVE REFREGIT)

Invenias etiam diſjecti membra poetæ.

Requirit igitur in poeta Horatius magniloquentiam: & Satyræ Latinæ ſcriptores, puta Lucilium, & ſe ipſum, quod abjecto dicendi genere uterentur, quidlibet aliud quam poetas eſſe affirmat. Notam vero quamdam ſeu χαρακτῆρα proponit, qua ſcripta legitimorum poetarum a ſcriptis aliorum qui hoc nomine indigni ſunt, facile dignoſci poſſint. Ait enim, veros poetas ita ſcribere, ut ſi quis verſus eorum diſſolvat, & ad proſam orationem redigat, ordine verborum inverſo, & metro penitus ademto, nihilominus dictio poetica reliqua futura ſit: quam dictionem Horatius eleganter appellat *membra poetæ diſjecti*. non ſecus ac ſi ædificio aliquo magnifico diruto, ſuperſint tamen columnæ ingentes, trabes auratæ, poſtes operis non vulgaris, unde conjicere liceat quum ædificii ſplendorem, tum architecti excellentiam. Porro negat Horatius, Lucilii ſermones aut ſuos hujuſmodi eſſe, ut diſſoluti & metro ſpoliati, poeticum tamen aliquid ſpirare poſſint; quod videlicet habeant omnia, præter metrum ſolum, cum populari locutio-

tione communia. Ennii contra carmen heroicum ea ſermonis majeſtate pollere, affirmat, ut etiam poeticis numeris depoſitis, a quotidiana tamen loquendi conſuetudine abhorreat, & ſublimitatem ſuam priſtinam retineat. Exemplum affert ſcriptor Venuſinus ex Annalibus Ennii verba quæ ſequuntur: *Poſtquam Diſcordia tætra Belli ferratos poſtis portaſque refregit*. Horum ſcilicet verborum magnificentia permanet quamvis numeri tollantur. Loquitur enim, ut videtur, Ennius de templo Jani apud Romanos, quod indicto bello reſerabant, finito claudebant. More autem poetarum, Diſcordiam tamquam deam aliquam inducit, templum illud ferreis poſtibus januiſque munitum, omni obice fracto, vi aperientem pandentemque. Cujus quidem imaginis & deſcriptionis mira eſt efficacitas atque ſublimitas; ſive metro, ſive ſoluta oratione verba quæ illam comprehendunt, enuntientur. Ceterum ſuſpicari licet, in veteri Græcia plurimos fuiſſe ſcriptores ejuſmodi, quorum *verſus inopes rerum* eſſent, *nugæque canoræ*; atque iccirco diſſoluti, & amiſſo metro, ſordérent prorſus & contemtui haberentur. Id colligo ex his verbis Iſocratis in Evagora:

 Hi

Ἢν γάρ τις τῶν ποιημάτων τῶν εὐδοκιμούντων, τὰ μὲν ὀνόματα καὶ τὰς διανοίας καταλίπῃ, τὸ δὲ μέτρον διαλύσῃ· φανήσεται πολὺ καταδεέστερα τῆς δόξης, ἣς νῦν ἔχομεν περὶ αὐτῶν. i. e. *Etiam laudata poemata, ſi quis eorum verba ſententiaſque reliquerit, verſum autem diſſolverit; ea quam nunc de iis habemus, opinione multo deteriora videbuntur.*

Ex his quæ hactenus docuimus, oriri quæſtio poteſt, Comœdia legitimum poema ſit, necne. Dubitationis cauſſa eſt, quod quum duæ potiſſimum res ad poema conſtituendum requirantur, metrum videlicet ac ſpiritus poeticus, Comœdia & numeris laxioribus gaudeat, qui ad ſolutam orationem propius accedunt, & præterea mores deteriorum, vilemque vulgarium hominum ſermonem imitetur: atque iccirco poetico ſpiritu, omnique ſublimitate carere videatur. Nam etſi perſonæ quædam a Comœdiarum ſcriptoribus haud raro inducantur gravibus verbis utentes ac minacibus, dolentes, indignantes, ſtomachantes; non tamen hujuſmodi perturbationes aptis verbis deſcriptæ ſublime aliquid in ſe continent: quivis enim e populo, ſi res tulerit, eadem verba facile uſurpabit in dolore, ira, ſtomacho, indigna-

tio-

tione. Quid igitur magnum Comici præſtant, quum a vulgari loquentium conſuetudine non diſcedant? Hanc quæſtionem diſſimulare noluit Horatius Satyra 4. libri 1. cujus verſus recitabo:

Iccirco quidam, Comœdia necne poema
Eſſet, quæſivere: quod acer ſpiritus ac vis
Nec verbis nec rebus ineſt; niſi quod pede certo
Differt ſermoni, ſermo merus. At pater ardens
Sævit, quod meretrice nepos inſanus amica
Filius, uxorem grandi cum dote recuſet;
Ebrius & (magnum quod dedecus) ambulet ante
Noctem cum facibus. Numquid Pomponius iſtis
Audiret leviora, pater ſi viveret? -- -- --

Quapropter M. Tullius in Oratore ad Brutum hæc ſcribit: *Video viſum eſſe nonnullis, Platonis & Democriti locutionem, etſi abſit a verſu, tamen quod incitatius feratur, & clariſſimis verborum luminibus utatur, potius poema putandum, quam Comicorum poetarum, apud quos, niſi quod verſiculi ſunt, nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis.* Non eſt nihilominus cur fateri dubitemus, Comœdiam eſſe poema. Etiamſi enim poetico ſpiritu

ritu omnino careret Comœdia, metro ipſo & fabuloſa imitatione ſatis tueretur poematis dignitatem. Immo in principe poematum claſſe reponenda eſt; propterea quod imitatio metrica, ut ſæpius dixi, non ſolum poema efficit qualecumque, ſed etiam poema proprie appellatum, & numeris omnibus abſolutum. Quis tamen contendat, in ſcriptione Comicorum poetarum nullum ineſſe ſpiritum, nullam ſublimitatem? Certe ſuperius oſtendimus, duce Dionyſio Longino, ſummo rhetore, fontem ſublimitatis uberrimum eſſe animi affectiones; quas nemo dixerit, in Comœdia ſæpenumero non excitari. *Vim* certe *comicam* commemorat C. Julius Cæſar in quibuſdam verſiculis, eamque deeſſe dolet ſcriptori elegantiſſimo Terentio, quem *dimidiatum Menandrum* appellat: ſumſit enim Terentius pleraque a Menandro, ac multas ejus poetæ virtutes conſecutus eſt. Sic itaque Cæſar:

Tu quoque tu in ſummis, o dimidiate Menander,
Poneris; & merito, puri ſermonis amator.
Lenibus atque utinam ſcriptis adjuncta foret vis
Comica, ut æquato virtus polleret honore

Cum

Cum Græcis, neque in hac deſpectus parte jaceres.

Unum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe, Terenti.

Nonne Horatius in Epiſtola ad Piſones faſſus eſt, exſurgere aliquando Comœdiam, nec ſemper abjecte loqui?

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit,

Iratuſque Chremes tumido dilitigat ore.

Nonne Plautini ſermones ita feſtivi ſunt, ita concinni, ita elegantiis omnibus ac veneribus referti, ut Ælio Stiloni viſum olim fuerit, ſi Muſæ Latine loquerentur, Plauti lingua locuturas? Idem porro quod dicimus de Comœdia, videtur dicendum de Bucolicis quoque poematis, quæ tametſi ruſticorum hominum ſermonem ac mores imitentur, nihilominus in ſuo genere ſatis arguta, mollia, venuſta ſunt: nam & ex moribus hujuſmodi quædam ſeligi poſſunt non adeo ſtabulum olentia, ut ab urbanis jure ac merito rejici & faſtidiri debeant.

CAPUT XV.

De Furore poetico, quem Ἐνθουσιασμὸν *& Afflatum etiam vocant. Quæ diverſis poematum & orationum generibus ornamenta conveniant. Euripidis Tragœdiarum lectio utilis oratoribus. Furorem poeticum quinque efficiunt, teſte Gerardo Joanne Voſſio; corporis temperies, affectus, vinum, organa muſica, poemata ipſa lecta, audita, ſpectata. Muſicæ hodiernæ vitia nonnulla. Poetæ principes in ſuo quiſque genere juventuti ad imitandum propoſiti.* Ψευδοκριτικοὶ *nonnulli reprehenſi. Fontes & montes aliqui crediti olim ſunt poetas facere. Divitum avaritia erga poetas.*

ILLUD in præſentia ſubjungere placet, unde ſpiritus poeticus originem ducat a nobis commemoratus. Hunc ſine inflammatione animorum, & ſine quodam afflatu quaſi furoris, in poematis exſiſtere non poſſe, viris doctiſſimis perſuaſum fuit. Vulgo quoque notum eſt illud Ovidii:

Eſt deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Homerus autem prior dixerat verbis Telemachi

machi ad Penelopen : (libro 1. Odyſſeæ v. 346.)

Μῆτερ ἐμὴ, τί τ᾽ ἄρ᾽ αὖ φθονέεις ἐρίηρον ἀοιδὸν
Τέρπειν ὅππῃ οἱ νόος ὄρνυται; οὐ νύ τ᾽ ἀοιδοὶ
Αἴτιοι, ἀλλά ποθι Ζεὺς αἴτιος, ὅς τε δίδωσιν
Ἀνδράσιν ἀλφηστῇσιν ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ.

Mater mea, quid jam invidiam concitas jucundo cantori
Ne oblectet utcumque illi mens impellitur? non ſane poetæ
In cauſſa ſunt, ſed interdum Juppiter in cauſſa eſt, qui ſuggerit
Viris ingenioſis ita ut vult unicuique.

Hæc Platonis præcipue ſententia fuit, qui nimirum affirmat in Ione, omnes poetas bonos carmen fundere, οὐκ ἐκ τέχνης, ἀλλ᾽ ἐνθέους ὄντας καὶ κατεχομένους, ὥσπερ κορυβαντιῶντες: *non ex artis præceptis, verum divino quodam furore correptos, ut ii qui Corybantum ſpiritu aguntur*. Hinc θεόληπτοι, μουσόληπτοι, μουσοπάτακτοι, μουσομανεῖς, ἔνθεοι, ἐνθουσιώδεις poetæ dicti ſunt apud veteres Græcos, nempe *a diis vel Muſis afflati, Muſarum œſtro & furore perciti, fanatici, Deo pleni:* cujuſmodi Virgilius deſcribit Sibyllam Æneidos libro *6.* his verſibus:

Ventum erat ad limen, quum virgo, Poſcere fata

Tempus, ait. deus ecce, deus. cui talia fanti
Ante fores ſubito non vultus, non color unus,
Non comtæ manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale ſonans, adflata eſt numine quando
Jam propiore dei -- -- -- -- -- ---

Sed quamquam poetæ nonnulli dum carmini ſcribendo dant operam, ſimile aliquid pati videantur, non eſt nihilominus exiſtimandum, eos furori tantum, vel naturæ bonos verſus debere, ita ut artis adjumento & ſubſidio non indigeant. hoc enim antea copioſe refutavimus. Immo verum quidem eſt, poematis omnibus ornatum addendum eſſe, & ſublimitatem quamdam convenire, ut a proſa oratione differre videantur: ſed non omne poematum genus eadem prorſus amat ornamenta. In Lyricis & Dithyrambicis, ubi poeta vel ex perſona ſua loquitur, vel ſi ex aliena loquatur (quod ſæpius contingit) eam incitatam & divino quodam furore agitatam inducit, exſpatiari longius, & in cælum ferri quodammodo ſublimi oratione licet: in his arculæ omnes excutiendæ, pigmenta omnia conſumenda ſunt. Heroici porro carminis alia ratio eſt. Huic ornamenta conveni-

veniunt magis temperata, quæ τὴν σεμνότητα, gravitatem ſcilicet perſonarum non lædant: dignitas enim & decor, Epicorum poetarum proprius eſt, non venuſtas mollis & effeminata, neque rurſus effrenis oratio, qualis ebriorum eſt aut vaticinantium. In Dramate demum, poematis genere maxime activo, puta Comœdia & Tragœdia, in quibus perſonæ variæ colloquentes inducuntur, multum demittere dictionem oportet, eamque ſermoni propiorem efficere, ne imitatio corrumpatur: quod fieret ſi regibus, ducibus, heroibus pictam & luxuriantem orationem tribueret poeta, eorumque adeo fortunæ ac dignitati indecoram. Deſipiunt enim qui putant, floſculos, argutias, figuras inuſitatas, exquiſitam locutionem principes viros decere: quum his potius graves, utiles, & pondere plenæ ſententiæ conveniant, verbis plerumque communibus, non tamen vilibus aut ſordidis expreſſæ. Comicis porro perſonis dictionem ſublimem atque accurate ornatam ſi quis aptare tentaverit, perinde faciet ac ſi ruſtico veſtem auream vel acu pictam, aut aſello phaleras impoſuerit.

Ab Oratoribus quoque ſervari debet hæc orna-

ornamentorum differentia. *Eſt* enim *finitimus oratori poeta, numeris aſtrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus ſocius, ac pæne par: in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumſcribat aut definiat jus ſuum, quominus ei liceat eadem illa facultate & copia vagari qua velit*; ut ſcribit M. Tullius libro 1. de Oratore. Neque pueris ipſis in ludum litterarium euntibus ignotum eſt, demonſtrativo generi cauſſarum, quod genus ἐπιδεικτικὸν Græci appellant, locutionem magis factam & elaboratam convenire quam aut deliberativo, aut judiciali. Sed aliud quoque diſcrimen animadvertit Demoſthenes, vel quiſquis eſt auctor, ἐν ἐρωτικῷ λόγῳ· Τοῖς μὲν γὰρ λεκτικοῖς τῶν λόγων, inquit, ἁπλῶς καὶ ὁμοίως οἷς ἂν ἐκ τοῦ παραχρῆμά τις εἴποι, πρέπει γεγράφθαι· τοῖς δ' εἰς πλείω χρόνον πεθησομένοις, ποιητικῶς καὶ περιττῶς ἁρμόττει συγκεῖσθαι. i. e. *Nam ut orationes quæ pronuntiantur, ſimplici & extemporali ſermonis genere texi debent: ita quas ad poſterorum pervenire memoriam velis, poematis inſtar elaboratas, & exquiſitum in modum perpolitas eſſe decet.* Statim vero cauſſam ſubjungit cur ita exiſtimet: τοὺς μὲν γὰρ πιθανοὺς, τοὺς δὲ ἐπιδεικτικοὺς

εἶναι

ἆναι προσήκει. illas enim probabiles, has magnificas eſſe oportet. Iccirco neſcio quis apud Ciceronem in libro de Claris Oratoribus, *eos* cauſſarum patronos *quorum altior oratio, actioque eſſet ardentior, furere & bacchari arbitrabatur*. Huc pertinet Fabii Quinctiliani judicium, Inſtitutionis Oratoriæ libro 10. capite 1. qui Euripidis Tragœdias maxime utiles Oratoribus eſſe cenſet ob affectus moreſque graphice expreſſos, ac ſententiarum vitæ utilium præſtantiam atque ubertatem. Quamquam enim aliquibus gravitas, & cothurnus, & ſonus Sophoclis videtur eſſe ſublimior, dictio tamen Euripidis oratorio generi magis accedit, & ſententiis crebra, & rebus ipſis: quum plurima ſumat e media philoſophia, nimirum eâ quæ de moribus eſt, neque ulli ſcriptioni concedat philoſophorum. In dicendo autem ac reſpondendo, cuilibet eorum qui forenſi eloquentia claruerunt, Euripidem comparandum putat. Nemo certe illi præponendus in affectibus exprimendis & excitandis, præcipue illis qui caſus atroces comitari ſolent, luctuque ac miſeratione conſtant.

Furorem vero poeticum, ſive mentis incitationem quæ poetis contingit, ex quinque

potiſſimum cauſſis exſiſtere, putat Gerardus Joannes Voſſius in libro de Natura & Conſtitutione Poetices cap. 12. nimirum ex temperie corporis; ex affectione; ex vini meracioris potu; ex organis muſicis; denique ab excellentium poetarum lectione, vel a ſpectandis poematis, dum in theatris aguntur, maxime Tragœdiis & Comœdiis. Quod pertinet ad corporis temperiem, ſcimus, μελαγχολικὺς, ut ingenio præſtantes, ita rei poeticæ aptiores eſſe quam ceteros qui μελαγχολίᾳ minus abundant. Ariſtoteles propterea, furorem poeticum non a Muſis, aut diis quos poetæ ipſi commenti ſint, ſed ab atra bile repetendum eſſe docet, quæ perinde ac vinum in caput invadat, mentemque agitet atque commoveat. Ceterum, poetas furore corripi, idem Ariſtoteles non inficiatur; ſiquidem Problemate primo ſectionis vigeſimæ ait: Μάρακος δὲ ὁ Συρακύσιος καὶ ἀμείνων ἦν ὁ ποιητὴς, ὅταν ἐκσταίη: *Maracus Syracuſanus præſtantior erat poeta quum mente alienaretur*. Et profecto is extra ſe rapitur, & ſui quodammodo obliviſcitur, qui alienam perſonam induit; alienos mores, alienos affectus, aliena dicta factaque imitatur: qui modo avarum patrem, modo prodigum

&

& amore perditum adoleſcentem, modo callidum ſervum, modo crudelem tyrannum, modo ducem patria extorrem, modo mulierem ultionis cupidam, & ſexcentas alias morum, animorum, fortunarum diſſimilitudines aptis verbis & ſententiis exprimere ſtudet. Quapropter Democritus Abderites, ut teſtatur Cicero libro 1. de Divinatione, *quemquam magnum poetam eſſe poſſe negabat ſine furore*. Quum autem animadverterent homines, niſi qui afflatus eſſet, vatem fieri neminem, ut poetæ haberentur & dicerentur a populo, mores furioſorum imitari cœpere; capillum puta demittere, ungues & barbam alere, ſordidas veſtes induere, civium colloquia vitare, a foro, conviviis, balneis abſtinere, ut ſolent atra bile perciti, & quorum mota mens eſt. Cujus ineptæ conſuetudinis mentionem facit Horatius in Epiſtola ad Piſones his verſibus:

Ingenium miſera quia fortunatius arte
Credit, & excludit ſanos Helicone poetas
Democritus; bona pars non unguis ponere curat,
Non barbam: ſecreta petit loca, balnea vitat.
Nanciſcetur enim pretium nomenque poetæ,
Si tribus Anticyris caput inſanabile numquam

Tonſori Licino commiſerit. O ego lævus,
Qui purgor bilem ſub verni temporis horam!
Non alius faceret meliora poemata: verum
Nil tanti eſt -- -- -- --

Affectibus deinde ac perturbationibus animi non exigua vis eſt ad ingenium excitandum, & carmen vel optimum componendum: qua de re multa ſuperius verba fecimus. Homines enim affectione aliqua correpti, niſi eam frenis atque compedibus philoſophiæ ſtatim coerceant, tantiſper inſaniunt, & furentium ſimiles fiunt, nimirum amiſſa tranquillitate, mentiſque conſtantia. Iram propterea, qua perturbatio nulla vehementior, brevem furorem eſſe, recte dictum eſt. Quo pertinet verſus Horatii:

Archilochum proprio rabies armavit ïambo.

Mitto Lyricos & Elegiarum ſcriptores, quos amor erga puellas interdum poetas effecit: amor, inquam, ſtudiumque placendi, quod oſcitantibus etiam ingeniis & dormitantibus faces, aculeos, & ſtimulos admovet. Unum Propertii teſtimonium præterire non poſſum ex Elegia 1. libri 2.

Quæritis unde mihi toties ſcribantur amores?
Unde meus veniat mollis in ora liber?

Non

Non hæc Calliope, non hæc mihi cantat Apollo.

Ingenium nobis ipſa puella facit.

Jam vini meracioris potu mentem excitari, & ſcribendis carminibus idoneam fieri, experientia ac teſtimoniis oſtendi & confirmari poteſt. Vinum enim una cum corpore animum calfacit, cogitationes & viſa ſuppeditat, metum expellit, confidentiam dicendique libertatem auget, quam Græci παῤῥησίαν appellant. Nihil igitur mirum ſi poetici furoris etiam cauſſa ſit. Nonnullos videmus ingenio ad inveniendum & excogitandum aptiſſimo; ſed quum ſobrii fuerint, præter modum verecundo, meticuloſo, minus promto, penituſque retruſo: a quibus interdum largius potis occulta virtus elicitur, atque in apertum prodit, quemadmodum conflictu ac tritu lapidum ſcintillæ ignis erumpunt. Ferunt, Æſchylum ad omnes Tragœdias ſuas conſcribendas bene potum acceſſiſſe, ut eas ille Baccho potius quam Apollini acceptas referret. Horatius vero Mæcenatem ſuum ſic alloquitur Epiſtola 19. libri 1.

Priſco ſi credis, Mæcenas docte, Cratino:
Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt

Quæ ſcribuntur aquæ potoribus. ut male ſanos
Adſcripſit Liber Satyris Fauniſque poetas,
Vina fere dulces oluerunt mane Camœnæ.
Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus:
Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. Forum putealque Libonis
Mandabo ſiccis, adimam cantare ſeveris.
Hoc ſimul edixit, non ceſſavere poetæ
Nocturno certare mero, putere diurno.

Exſtat vetus Epigramma Græcum, quod alii Nicerato, alii Demetrio Halicarnaſſenſi, alii Aſclepiadæ, alii Theæteto tribuunt, in quo edictum Cratini, veteris Comœdiæ poetæ, cujus edicti meminit Horatius in allatis verſibus, ita proponitur:

Οἶνος τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ·
Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.

nempe: *Vinum poetæ eleganti velox equus eſt: aquam vero bibens, nihil boni pepereris.* Aliud tamen eſt bibere, aliud ebrium bibendo fieri: nam qui tantum vini hauſerunt, ut neque capite, neque pedibus conſiſtere ſatis poſſint, iis non ſumendus calamus, at cubitum concedendum eſt. Nulla ergo cauſſa eſſe videtur, quamobrem poetæ vinum fugiant ac reformident, quod motus animi con-

concitet: docti enim & litterati homines a vini potu numquam ita pulſantur & depravantur, ut ſtupidi & vecordes fiant. Immo illorum ebrietas ipſa plerumque ſapientior eſt quam ſobrietas vulgarium & indoctorum. Nam indocti, etiam quum jejuni ſunt maxime, nubilam habent mentem animi, eaque perturbationum errorumque caligine ſemper obſidentur, quam vir elegantiſſimus Theophraſtus dicere ſolebat ἄοινον μέθην, *ebrietatem vini expertem*.

In cauſſis porro furoris poetici numerat Voſſius organa muſica. Legimus profecto, Phrygium modum, quo tibicines olim utebantur, ea vi præditum fuiſſe, ut audientes ad furorem & inſaniam concitaret. Lucretius iccirco libro 2. ita cecinit:

Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.

Antiquiſſimis temporibus iidem artifices poeticam diſciplinam & muſicam profitebantur; nulla enim poeſis erat quæ non caneretur, pſallentibus idemtidem qui canebant. Homerus id oſtendit pluribus locis: & apud Virgilium Æneidos libro 1.

-- -- -- -- -- -- cithara crinitus Iopas
Perſonat aurata, docuit quem maximus Atlas.
Hic canit errantem lunam, ſoliſque labores;

Unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes.

Terentius iccirco *ſtudium muſicum*, *artemque muſicam* poeſim vocare non dubitavit. Hæc poſtea munera ſejuncta & ſeparata fuere: ut poetæ ſcilicet materiam carminis excogitarent, carmenque conderent; muſici autem & ſaltatores, quum verſus a poetis acccepiſſent, eos auribus accuratius dimetirentur, & modos tibiis ac ſaltationi accommodarent. Utinam vero priſcis illis hominibus numquam veniſſet in mentem hæc duo ſuapte natura affinia atque cognata diſſociare: profecto non ad eam barbariem decidiſſet res muſica quam hodie in theatris viri docti ab imperitis probari & laudari dolent: neque poeſi omnino neglecta, vocum tantummodo & ſonorum ſine mente, nullaque ſubjecta ſententia, ratio haberetur: quod ſane ineptiſſimum eſt. Nam quum omnis cantus quantumvis elegans, verborum condimentum eſſe debeat: iccirco autem Græci verba muſicis modulis ornata ἡδυσμένον λόγον vocaverint, ſcilicet condítum ſermonem; nonne delirium eſt manifeſtum, condimento uti tamquam cibo, cibum ipſum nihili pendere ac procul abjicere? Si

quis

quis igitur cantorem audiat hoc noſtro ſæculo, vix decimam partem eorum quæ canuntur, intelliget. Nam ſive oratio ſoluta fuerit, ſive pedibus & metris ligata; ab Arionibus hiſce noſtris ac Phemiis eodem loco habetur. In Latinis præcipue verſibus breves producunt ſyllabas, corripiunt longas; eademque decies repetentes vocabula, veram & legitimam pronuntiandi rationem invertunt adeo, mutilant, fœdeque corrumpunt, ut carminis vel metri nec vola nec veſtigium appareat. Quum vero ad vocales ampliori ſono præditas ventum fuerit, quaſi reliquæ orationis obliti, libenter ibi ſubſiſtunt, adeoque gutture contendunt, ut ex hominibus in luſcinias, paſſeres peregrinos, acanthidas, merulas commutati videantur. Populus interea, qui aures tantummodo in theatrum vel in templum tulit, mente foris relicta, canentes immodice admiratur, & voluptate quaſi liqueſcit: viri autem principes ac locupletes, hujuſmodi ſuavi barbarie nimium delectati, eos magno auri pondere cumulatos domum dimittunt. Hanc eſſe cauſſam exiſtimat Iſaacus Voſſius, vir doctiſſimus, in libello de Poematum Cantu & Viribus Rhythmi, quamobrem

rem a Muſica noſtri temporis abſit facultas illa motus animorum excitandi, quà Muſicam veterem excelluiſſe, Hiſtorici graviſſimi tradiderunt. Niſi enim verba quæ canuntur, probe intelligantur, deſcendere ad animos nullo modo poſſunt: nemo autem illa intellexerit niſi a canente recte pronuntiata, penitus expreſſa, modiciſque intervallis, & ad naturam ſermonis accommodatis, diſtincta & continuata fuerint. Quod quamquam in *recitationibus*, quas vocant, præſtare ſtudeant, minus tamen aſſequuntur; quum & in his multa peccent, ac præterea populum aſſuefecerint ut has recitationes contemnat, & genus illud canendi magis elaboratum exſpectet, quod *tenero ſupplantat verba palato*, ut cum Perſio loquar, & in quo voluptati aurium ſoli, non menti atque intelligentiæ ſervitur. Nulla igitur, vel certe exigua vis eſt in cantibus noſtri temporis, neque in organis muſicis, quæ una cum hoc genere cantuum adlaborant, ad furorem poeticum excitandum: ſterilis tantum & omnis eruditionis expers dulcedo ex his percipitur, quæ feriatos quidem homines, & otioſas mulierculas detinere poteſt; erecto & celſo ani-

mo

mo viros, diſcendique avidos adoleſcentes juvare non poteſt. Dionyſius ipſe Longinus, quamquam ejus temporibus Muſica non adeo corrupta eſſet, ſectione 41. libelli περὶ ὕψους, conqueſtus eſt, modulationem ſententiis nocere, atque ab illarum comprehenſione auditorum intelligentiam avertere, quaſi violentia quadam: τὰ ᾠδάρια, inquit, τοὺς ἀκροατὰς ἀπὸ τοῦ πράγματος ἀφέλκει, καὶ ἐφ᾽ αὐτὰ βιάζεται.

Quinta demum & potiſſima cauſſa furoris poetici ſunt poemata ipſa lecta, audita, vel in theatris etiam ſpectata. Sumus enim omnes naturâ, eorum quæ legimus, videmus, audimus, imitatores. Hilaritas aliena ex animis noſtris mœrorem ac triſtitiam abigit: dolentibus aliis nos quoque condoleſcimus: iratorum ſimilem affectionem vultumque ſuſcipimus. Ita etiam ſi optimorum poetarum lucubrationes diu noctuque evolvamus, præclara & minime vulgaria cogitare incipimus, & de illorum ingeniis longo uſu aſſiduaque meditatione aliquid contrahere: neceſſe enim eſt, eum qui diutius in ſole ambulet, colorari; & qui a cane rabido morſus fuerit, parem rabiem concipere. Nihil igitur æque prod-

eſt

eſt in egregium poetam olim evadere cupienti, quam perfectum aliquod exemplar, vel ſaltem perfecto proximum, ſibi ante oculos conſtituere, cui ſe potiſſimum ſimilem eſſe velit, cujus virtutes imitari & in ſe transferre ſtudeat, cujus denique ductum & veſtigia diligentiſſime ſequatur. Id exemplar e Græcis poetis Homerus erit præcipue, *qui nil molitur inepte*, ſi Horatium, non ineptos quoſdam, audimus: deinde Sophocles, qui Tragœdiam perfecit, ac tamquam Homerus Tragicorum haberi poteſt: Euripidi certe præponendus ab eo qui non orator, ſed tragicus poeta eſſe velit, non ſolum ob orationis magnificentiam, ſed quod excellat ἐν συστάσει τῶν πραγμάτων, & rectius omnino fabulam diſponat; quod viſum Ariſtoteli, & ratione ipſa comprobatur. In Lyricis a Pindaro non eſt diſcedendum, propter beatam ſermonis ubertatem, fabularum copiam, utiles graveſque ſententias, εἰδώλων ſive imaginum frequentem effictionem; quibus virtutibus mirum in modum aluntur poetica ingenia. Non enim audiendi ſunt Critici quidam recentiores, & minorum ſane gentium, qui non ita pridem inimicitias cum antiquitate uni-

univerſa ſuſceperunt, non veriti ſcilicet, gigantum more, bellum agere cum diis: quaſi heroes illi veteres, unde omnis eloquentia, elegantia omnis, omnis poeticus decor in ſeram uſque poſteritatem propagatus eſt, ulla hominum audacium cavillatione & dicacitate, ullo jocorum frigore, ullis denique ineptiis poſſent a gloriæ poſſeſſione deturbari. Hos Pindaro præcipue inimicos eſſe videas, *tendit quoties in altos Nubium tractus;* quum ipſi ſemper jaceant, vel humi repant, barbarum quiddam & pingue ſonantes, molli & enervata ratione atque oratione. Sed valeant Critici hujuſmodi, ſeditioſum genus hominum ac turbulentum, qui tantam bonis litteris caliginem offuderunt, qui ſanam veteremque eloquentiam ab imo fundo ſubvertere conati, egregia indole adoleſcentes, libellis quibuſdam in vulgus editis, in errorem ſecum abripiunt. *Plorare* illos *jubeamus inter cathedras diſcipularum:* perſuadeant mulieribus, quarum aſſidua conſuetudine delectantur, Pindarum effrenem ſcriptorem eſſe atque inſano ſimilem: non delectu aliquo utentem aut ſapientia in faciendo carmine, ſed impetu ac temeritate. Iidem Theocri-

to,

to, admirabili in ſuo genere poetæ, cujus virtutes neque Mantuanus noſter, quamquam divino illo ingenio, aſſequi omnino potuit, rus merum & ſtabulum objiciant. Paſtores alios ipſi comminiſcantur, bubulcos, agricolas, vinitores, nihil paſtoritium habentes, nihil agreſte, nihil ſuæ naturæ conveniens, quod aulicis & urbanis hominibus, elegantiarum ſtudioſis, ſtomachum moveat: ſed pexo capillo, nitidos, unguentatos, cincinnatos, qui novo quodam more amoribus ruri vacent, neque de tauris, ovibus, frugibus, vitibus narrent, vel de arandi, ſerendi, metendi tempore; ſed potius de bello & pace ſcite diſputent, rerum etiam naturam, ſi diis placet, explicare aggrediantur, atque ita ſtellarum magnitudines, figuras, curſus, ortus, occaſus, ceteraſque proprietates nobis deſcribant, ac ſi nuper e deorum conſilio, vel ex Epicuri intermundiis aut Carteſii vorticibus in terras delapſi eſſent. Verum ad propoſitum revertamur.

Ariſtophanem optimum exemplar Comœdiæ ſcribendæ dicere non auſim, tametſi Attico ſale abundet, tantaque ſermonis feſtivitate polleat, ut ex ejus poematis A-

thenæ ipſæ redolere videantur: obſcœnus enim eſt, petulans, flagitioſus, &, ut illa ferebant tempora, ὑβριστὴς, atque in viros principes, ſanctiſſimoſque philoſophos haud raro injurius: quæ ſane vitia poetis frugi cavenda & declinanda ſunt. Utinam exſtarent Menandri & Philemonis Comœdiæ, in quibus ut amores frequentes eſſent, oratio tamen bene morata, & longe minus maledictorum erat. Omnibus igitur qui nominis immortalitatem ex poetico ſtudio quærunt, id quod olim edixit Horatius, & nos edicimus:

-- -- -- -- Vos exemplaria Græca
Nocturna verſate manu, verſate diurna.
Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Muſa loqui -- -- -- -- -- -- --

Nolim tamen, adoleſcentes rei poeticæ ſtudioſos ita Græcis auctoribus operam dare, ut Latinorum obliviſcantur. Immo eo diligentius a nobis legendi, evolvendi, atque imitandi ſunt Latini poetæ, quo linguam illorum in ſcribendo ſæpius quam Græcam uſurpamus, vel certe hanc Italicam recentiorem, quæ, ut Gallica quoque & Hiſpanica, Latinæ veteris propago eſt. Quis autem ignorat, poetarum Latinorum præſtan-

ſtantiſſimos Virgilium, Plautum, Terentium, Horatium, Catullum, Ovidium, Tibullum, Propertium, conſenſu virorum doctiſſimorum exiſtimari? quibus addendus Lucretius ob eximium Romanæ orationis nitorem, & pauci fortaſſe alii. Nam Lucanus, Papinius, Perſius, Seneca, Valerius Flaccus, Silius Italicus, Juvenalis, Martialis, & qui deinceps uſque ad Claudiani tempora extitere, non abjiciendi quidem ſunt; quum poeticum inſtrumentum opibus eruditionis atque doctrinæ, ſententiis etiam illuſtribus locupletare atque amplificare poſſint; verumtamen eos a priorum nitore, ac germana eloquentia diſtare plurimum, ſatis noverunt homines harum litterarum periti. Cum iis igitur familiariter verſentur poeſeos amatores: eorum enim conſuetudine animos ſuos inflammari, & ſcribendo carmini paullatim idoneos fieri ſentient. Ii erunt Genii ipſorum & ἀγαθοὶ δαίμονες: eos in loco Muſarum obſervabunt & colent. Auctor præterea ſum ſtudioſis, ut Fracaſtorios etiam, Sannazarios, Vidas, & nonnullos alios recentiores, quorum nomina illuſtria & pervulgata ſunt, in manus ſumant: nam ex iſtorum quoque lectione haud contemnen-

dam

dam utilitatem percipient, ac ſimul cognoſcent, quantum recta & accurata optimorum ſcriptorum imitatio poſſit. Denique temporis aliquid tribuendum exiſtimo lectioni eorum qui poematis venuſtiſſimis, & omnium conſenſione laudatis vernaculam Italorum linguam auxerunt, & ad id culmen dignitatis extulerunt, ut jam Græciam ipſam veterem ac Latium provocare videatur. Horum tres tantum commemorabo, Dantem Aligherium, Franciſcum Petrarcham, Ludovicum Areoſtum, tresviros poeticæ rei apud Italos: quibus adjungi poterunt quicumque ipſorum virtutes æmulari, & iis quam ſimillimi evadere ſtuduerunt. Eo diligentius autem Italica hæc ſcripta evolvenda ſunt, quo utilius omnino eſt in Italia, ad morum popularium emendationem, Italicum poema ſcribere quam Latinum: nam populi maxima pars numquam didicit Latine loqui. Idem vero ſentiendum eſt de poetis qui Gallice ſcribunt in Gallia, & quicumque linguam a nutricibus acceptam carminibus excolunt apud reliquas nationes: nulla enim gens fere eſt quæ propriis & peculiaribus ornamentis careat.

Fabulæ olim prodiderunt, montibus &

locis Græciæ nonnullis eam ineſſe vim quæ poetas efficeret, Heliconi puta, Pindo, Parnaſſo, Cirrhæ, Aſcræ, quibuſdam aliis: quamobrem in iis potiſſimum Apollinem & Muſas immortale ævum degere finxerunt. Præterea quorumdam ſacrorum fontium crebro mentionem faciunt, quorum aquam ſi quis ebibiſſet, ſtatim poetico furore corriperetur. Hos autem fontes appellant Hippocrenen, Aganippen, Pirenen, Libethrum, Permeſſum: quæ nomina valde trita & vulgaria ſunt. Ovidius tamen libro 1. Artis Amatoriæ negat, ſe Muſas vidiſſe dum gregem paſceret in Aſcræ vallibus, quemadmodum Heſiodus; verum diuturna experientia effectum amandi magiſtrum.

Non mihi, ait, *ſunt viſæ Clio, Cliuſque ſorores*
Servanti pecudes vallibus, Aſcra, tuis.
Uſus opus movet hoc: vati parete perito.

Perſius vero feſtive admodum in poetas paraſitos & divitum adulatores hæc ſcribit in prologo Satyrarum, ſibi ipſe tribuens homini locupletiſſimo, quod pauperiorum proprium erat:

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo

Me-

Memini, ut repente ſic poeta prodirem;
Heliconiadaſque, pallidamque Pirenen
Illis remitto quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces: ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.
Quis expedivit pſittaco ſuum χαῖρε,
Picaſque docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis, ingenîque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Corvos poetas, & poetrias picas
Cantare credas Pegaſeïum melos.

At Perſii quidem temporibus, quum poetæ aliquo in pretio erant, rebus ſuis non peſſime conſulebant qui animum ad ſcribendum appellerent: nunc vero mutata eſt ratio; ſi quis enim cum egeſtate luctatus, eſurire ac ſitire ſemper velit, eum poetam fieri oportet: nihil enim minus pecunioſum, & cui Plutus divitiarum deus tantopere ſit iratus, quam res poetica. Hoc tempore

-- -- -- -- didicit jam dives avarus
Tantum admirari, tantum laudare diſertos.

Venit in mentem verſuum Juvenalis e Satyra 7.

Non habet infelix Numitor quod donet amico;
Quartillæ quod donet habet: nec defuit illi

Unde emeret multa paſcendum carne leonem
Jam domitum: conſtat leviori bellua ſumtu
Nimirum, & capiunt plus inteſtina poetæ.

Qui artes βαναύσους & ſellularias exercent, mercatores, inſtitores, publicani, villici, negotiorum actores; ne de ſcurris, lenonibus, & reliqua hominum fæce aliquid in præſentia dicam; quæ ad victum & cultum ſuppeditent, abunde poſſident, laxe habitant & magnifice, aurigas & equos nutriunt, purpurati etiam & aurati in conſpectum prodeunt: ſoli poetæ in ſordibus plerumque verſantur, algent, ſine ſpe, ſine lare vivunt. Quum igitur per hæc tempora fames nonnullos impellit ut verſus faciant, vere *maleſuada* vocanda eſt, quo cognomine illam Virgilius ornavit.

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Περὶ τῶν αὐτοσχεδιασμάτων, ſive de rudimentis & incunabulis Poetices. Præterea, de illis qui ex tempore carmen fundentes, non tantum ſibi poetæ videntur, ſed, ſi diis placet, ſoli poetæ. Ἐπίλογος, *& cohortatio ad poetica ſtudia excolenda.*

HACTENUS de furore poetico verba fecimus, & quæ illum cauſſæ potiſſimum efficiant, conſideravimus. Nunc aliqua dicenda ſunt de poematum rudimentis, quæ a Græcis αὐτοσχεδιάσματα, ϗ ᾄσματα αὐτοσχέδια vocari ſolent: has autem voces interpretari poſſumus *cantica incondita*, *numeros inconditos*. Quum igitur, teſte Cicerone in libro de Claris Oratoribus, nihil ſit inventum ſimul atque perfectum, homines illi antiquiſſimi, priuſquam ars componendorum carminum excogitata eſſet, numeris impolitis & rudibus inter ſe ludebant, ut ipſa ferebat natura. Subito enim calore atque impetu animi ad canendum & verſus fundendos invitabantur, ſine ulla meditatione. Quamobrem neceſſe fuit, omnia horri-

da, informia, inculta, ornamenti ac decoris expertia provenire. Paſtores præcipue hoc genere verſuum otium ſuum oblectabant, amores exponebant, amicas laudabant, vel de illarum ſuperbia, levitate, perfidia querebantur, diis agreſtibus gratias agebant, cum æmulis denique certabant. Ad hujuſmodi paſtorum poeſin Virgilius reſpexiſſe videtur Ecloga 2. quæ ſic incipit:

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini: nec, quid ſperaret, habebat.
Tantum inter denſas umbroſa cacumina fagos
Aſſidue veniebat. ibi hæc incondita ſolus
Montibus & ſilvis ſtudio jactabat inani.

Incondita, nimirum incompoſita, nulla certa lege, ordine, rhythmo colligata, quæ a Corydone ſic effuſa per æſtum amoris atque inſaniam, ipſe Maro poſtea numeris incluſerit, expoliverit, perfecerit, figuris nimirum & ceteris ornamentis adjectis, quæ ab arte proficiſcuntur. Ita quidem explicat hunc locum Virgilii Hadrianus Turnebus libro 12. Adverſariorum capite 7. Vino autem largius epoto Muſicæ, Poeſeos, & ſaltationis inventionem tribuit ſuaviſſimus Tibullus Elegia 8. libri 1. quum ſcilicet agricolæ perfuncti laboribus, per

dies

dies feſtos Genio indulgerent. Sic igitur de Oſiride ſeu Baccho:

Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Movit & ad certos neſcia membra modos.

Porro, inconditis poematum rudimentis valde ſimiles fuiſſe crediderim verſus illos *quos olim Fauni vateſque canebant*, ut ait Ennius apud Varronem libro 6. de Lingua Latina. Hos appellabant Saturnios, teſte Pompejo Feſto: quoniam Saturni temporibus, Fauni ac vates eo metro in edendis oraculis uti conſueverunt: quemadmodum Apollo Delphis, & aliis in locis, heroico carmine per multa ſæcula uſus fuit. Antiqui autem illi, præter quam quod duriſſimos & aſperrimos eos verſus fecere, non eamdem ſemper ſyllabarum & metri legem in eo genere ſervavere, ſed inæqualem prorſus: nam alios breviores, longiores alios ediderunt. Numeri Saturnii, tamquam horridi & agreſtis, mentionem facit etiam Horatius Epiſtola 1. libri 2. his verſibus:

Græcia capta ferum victorem cepit, & artes
Intulit agreſti Latio. ſic horridus ille
Defluxit numerus Saturnius, & grave virus

Munditiæ pepulere: ſed in longum tamen ævum

Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris.

Paullatim igitur hujuſmodi αὐτοσχεδιάσμασι meditatio aliqua & cura acceſſit, deinde ſermo & ſpiritus poeticus: donec ratio metri habita fuit, quum antea ſolo rhythmo conſtarent: quæ lex quum initio rudis eſſet atque imperfecta, ſtabilem tandem certamque formam accepit. His fere gradibus & picturam creviſſe, hiſtorici tradiderunt. Primi enim pictores, ut Ælianus refert libro 10. Variæ Hiſtoriæ capite 10. tam rudes fuere, ut imaginibus quas pinxiſſent, neceſſarium exiſtimarent ſubſcribere nomen, aut hominis, aut leonis, aut arboris, aut aliud; ne picturæ argumentum ſpectatores ignorarent.

Quis autem crederet, nonnullos adhuc ſupereſſe qui frugibus inventis, glandium eſu delectentur? Hi ſunt videlicet qui carmen fundunt ex tempore, vel in conviviis, vel ſtato & indicto die, magna populi corona circumſtante, admirante, plaudente. Homines hujuſcemodi confidentes, fugacis gloriolæ cupidi, ore atque ingenio promto, non ſolum ſe poetæ nomine dignantur, ſed præterea, ſi Apollini & Muſis placet, ſe

ſo-

ſolos poetas haberi volunt, quaſi afflatu inſtinctuque divino carmen fundentes, & natura magis quam arte formatos. Legitimorum etiam poetarum curas & labores jocis perſtringunt: vigilias, lucubrationes, limam flocci faciunt: quum ipſi dena millia verſuum tribus horis effutiant, numquam ſubſiſtant, numquam pluteum cædant, caput ſcalpant, ungues demordeant, quod contingit meditantibus. Hanc ſibi nimirum legem indixerunt ſacram & inviolatam, nullas orationis ineptias formidare, nullius erroris pœnitere: ſive curtos aut redundantes verſus protulerint, ſive mutanda ſyllabarum quantitate peccaverint, ſive barbariſmis & ſolœciſmis præſentium aures pupugerint, ſive denique inanium & nihil ſignificantium verborum acervo bonarum ſententiarum inopiam & jejunitatem ſuppleverint. Alacres & perfricta fronte ulterius progrediuntur: & nihil timent magis quam ſuſpicionem meditationis, ac ne verſus fortaſſe ullos domo attuliſſe videantur. Quum vero, ut olim Hippias Eleus, & Gorgias Leontinus (tamquam ſi omnia ſcirent, quod nemini præter Deum conceſſum eſt) ſe de omni re propoſita copioſe atque ornate dicturos pollicean-

liceantur; incredibile eſt quam multa canenda ſuſcipiant quæ minime ſunt poemati accommodata; in quas anguſtias compellantur, quæ monſtra opinionum exponant, quantum levitatem ſuam & vecordiam prodant. Sed videlicet pulcherrimæ artis corruptores, populi judicio confidunt, qui plerumque audaciæ favet, loquaces vero putat eſſe ſapientes. Nimirum eſt hoc unum e ſæculi noſtri vitiis vel maximum: quod a neglectione ſeveriorum ſtudiorum, a præpoſtera ſimulatione philoſophiæ, ab otio, ab ignavia originem ducit. Si enim linguæ officium prævertat cogitationem, ſturnos, picas, & pſittacos loquendo imitabimur, & nihil umquam proferemus dignum auditu, nedum immortalitate. Memini me legiſſe aliquando horum carmina ſcripta: omnia in illis incomta, barbara, puerilia erant, omnia iratis Muſis nata: quæ ſcilicet doctorum aures præterlabi fortaſſe poſſent, oculorum judicium ſuſtinere certe non poſſent.

Toto igitur pectore prius cogitandum eſt quam verbis utamur: lingua enim cogitationum interpres nobis a natura data eſt; neque aliquid turpius aut ineptius levi atque odioſa loquacitate. Fateor quidem liben-

bentiſſime, celerrimos eſſe in quibuſdam motus animorum: ſed iidem tamen qui ob ſingularem ingenii præſtantiam, ex tempore haud peſſime dicunt, emendate magis, pure, ornate, denique utiliter dicerent, ſi tempus & diligentiam ad cogitandum ac eligendum ſumere vellent. Recte igitur in Epithalamio Catullus:

Non facilis nobis, æquales, palma parata eſt.
Aſpicite, innuptæ ſecum ut meditata requirant.
Non fruſtra meditantur: habent memorabile quod ſit.
Nec mirum, tota penitus quæ mente laborent.
Nos alio mentes, alio diviſimus aures.
Jure igitur vincemur. AMAT *victoria curam.*

Miſerum profecto eſt, homines acutos inveniri qui bonam mentem, bonas horas, gravitatis opinionem, plauſibus popelli & mulierum, nihil in hoc genere niſi volubilitatem linguæ æſtimare ſcientium, (impari ſane pretio) commutare non vereantur.

Ovidius quidem tanta ſcribendi carminis facultate valuit, quod ipſe de ſe teſtatur, ut numeri ac pedes ei ſcripturo aut pronuntiaturo ſponte ſeſe offerrent. Hoc nihilominus naturæ bonum, quo poeta maximus intemperanter abuſus eſt, vitio illi vertunt

tunt Critici doctiſſimi. Unius Fabii Quinctiliani teſtimonium proferam. Hic libro 10. Inſtitutionis Oratoriæ capite 1. *Ovidium laſcivum in Heroicis* appellat, *& nimium amatorem ingenii ſui*. eumdem in Elegia quoque laſcivire ait: propterea in eo genere Tibullo ac Propertio palmam concedere, qui preſſi magis, terſi, & caſtigati ſint: Medeam tamen Ovidii Tragœdiam, quam injuria temporis amiſimus, *oſtendere*, *quantum vir ille præſtare potuerit*, *ſi ingenio ſuo temperare*, *quam indulgere maluiſſet*. Novimus etiam, Papinium Statium in Epiſtola ad Stellam Patavinum, qua illi mittit primum librum Silvarum, de verſibus gloriari celeriter ſcriptis: qui melior fortaſſe poeta fuiſſet ſi ubertatem ac luxuriem ingenii ſeveriore ſtilo depaſcere voluiſſet. Quæ enim cito naſcuntur, cito etiam, ut floſculi, decidunt: diu parata & concepta, permanent, atque immortalitati mandantur.

Non negaverim tamen, doctos & ingenioſos homines verſibus ex tempore fuſis, animi gratia nonnumquam jocari. Hujus rei teſtis locuples Catullus Carmine 50. Licinium Calvum poetam & oratorem ſic allocutus:

Heſterno, *Licini*, *die otioſi*

Mul-

Multum luſimus in meis tabellis,
Ut convenerat eſſe: delicatos
Scribens verſiculos uterque noſtrûm,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per jocum atque vinum.

Sed aliud omnino eſt ludere, atque ex verſibus qualibuſcumque oblectamentum & ſolatium quærere, aliud eos in maxima laude ponere, atque hoc uno poetæ nomen, ac gloriæ perpetuitatem ſperare. Non numero, ſed pondere carmina æſtimanda ſunt: neque Criſpinum illum imitari oportet, de quo lepide Horatius Satyra 4. libri 1.

- - - - - - - - Ecce
Criſpinus minimo me provocat: Accipe, ſi vis,
Accipe jam tabulas: detur nobis locus, hora,
Cuſtodes: videamus, uter plus ſcribere poſſit.
Dî bene fecerunt, inopis me quodque puſilli
Finxerunt animi, raro & perpauca loquentem.
At tu concluſas hircinis follibus auras,
Uſque laborantes, dum ferrum emolliat ignis,
Ut mavis, imitare - - -

Zeuxidis potius meminerimus, qui quum lente admodum pingeret, ajebat ſe pingere æternitati: ac P. Virgilii curam & diligentiam æmulemur, qui, teſte Donato in Vita ejus, quum Georgica ſcriberet, opus illud

lud admirabile omnique ex parte perfectum, plurimos quidem verſus horis matutinis quotidie meditabâtur, & ſervo ſuo librario dictabat; reliquo autem die toto accurate retractabat, & ad pauciſſimos redigebat: dicens non abſurde, ſe urſæ more carmen parere, ac lambendo demum effingere. Quicumque igitur poeſeos pulchritudine ducimini, adoleſcentes liberaliter educati, præcepti Horatiani memores (A. P. v. 292.)

-- -- -- carmen reprehendite quod non
Multa dies & multa litura coercuit, atque
Perfectum decies non caſtigavit ad unguem.

Exiſtimo, aut ego valde fallor, hoc toto libro me ſatis oſtendiſſe, τίνος ἕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητὴν, quamobrem videlicet æquum ſit admirari poetam, & quæ ſolidæ utilitates ex poetarum ſtudiis colligantur. Puto etiam, me reprehenſoribus atque inimicis artis hujus nobiliſſimæ ſatis reſpondiſſe, eorumque argumenta quam ſint levia, infirma, ſtuporis ac malevolentiæ plena, declaraviſſe. Nemo fere poeticam odit niſi qui ad illam ineptiſſimus natus eſt: iiſque tantum poetæ ſuſpecti atque inviſi ſunt, ſi Horatium audimus Satyra 4. libri 1. qui maximis vitiis laborant, avaritia

pu-

puta, ambitione, libidine, crudelitate.

Omnes hi metuunt verſus, odere poetam.

ſecum enim ita cogitant:

Fœnum habet in cornu: longe fuge. dummodo riſum
Excutiat ſibi, non hic cuiquam parcet amico.
Et quodcumque ſemel chartis inleverit, omnes
Geſtiet a furno redeuntes ſcire lacuque,
Et pueros, & anus -- -- -- --

Vos igitur omnes qui laudem, qui gloriam, qui nominis immortalitatem ſpectatis, quos non turpe lucrum, non vulgi opiniones, non exempla deditorum ventri ac turpiſſimæ parti corporis, a recta virtutis & honeſtatis via deflectere ac revocare poſſunt; pergite animo quo cœpiſtis, excelſo nimirum & magno, ſtudium hoc liberaliſſimum in dies magis amate, ad ſumma quæque contendite, neque labori neque exercitationi parcentes, voces ac rumuſculos imperitorum & barbarorum hominum contemnite atque irridete. Sinite illos in rebus brevi tempore interituris occupari, ſinite opes quærere omni ratione: deinde quæſitis vel non uti, vel ad ſuperbiam, & libidinum intemperantiam abuti. Hortos illi amœnos conſerant, arbores in quincun-

cem

cem diſponant, ædes habitent ſumtuoſas, villas magnificas, eas egregiis artificum operibus, ſignis, tabulis pictis exornent, ut nihil in iis vile & abjectum ſit præter dominum; prædia prædiis adjungant, ſervos, mancipia, equos, canes venaticos alant, ipſi vecordes, meticuloſi, vino, crapula, ſomno ſepulti, ab omni ſapientia & doctrina imparati, proſpero ſtatu fortunæ inflati atque inſolentes, adverſo fracti & deſperantes, mortis horrore perfuſi; quæ nimirum bona illis omnia quibus inaniter efferuntur, propediem ſit ereptura, perpetuæque oblivioni cum ignotiſſimis capitibus traditura. Unuſquiſque veſtrûm, rei poeticæ ſtudioſi, locupleti confidenter dicat quod olim Horatius Groſpho (Ode 16. libri 2.)

Te greges centum, Siculæque circum
Mugiunt vaccæ; tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tinctæ
Veſtiunt lanæ: mihi parva rura, &
Spiritum Grajæ tenuem Camœnæ
Parca non mendax dedit, & malignum
Spernere vulgus.

Vos enim poetica diſciplina excolenda, præter famæ celebritatem, honeſtam Delecta-

CTATIONEM vobis & aliis parabitis, MORES indoctorum emendabitis, ORATORIÆ arti & litteris univerſis adjumento atque ornamento eritis. Non habebit, fateor, operâ veſtrâ patria quæ vos genuit, pulchras porticus, aut baſilicas, aut ampliora vectigalia: ſed habebit (quod longe pulchrius ac utilius eſt) cives frugi, modeſtos, continentes, ad virtutem idoneos: habebit bonam exiſtimationem apud exteros, ſplendorem, gloriam, dignitatem. Nolite igitur vereri, ne oneri aut probro civitati veſtræ ſitis. Veriſſima ſunt illa Propertii Elegiarum libro 3.

Nam neque Pyramidum ſumtus ad ſidera ducti,
Nec Jovis Elei cælum imitata domus;
Nec Mauſolei dives fortuna ſepulcri
Mortis ab extrema conditione vacant.
Aut illis flamma, aut imber ſubducet honores;
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quæſitum nomen ab ævo
Excidet: ingenio ſtat ſine morte decus.

Quoniam vero poetis, mediocribus eſſe non licet: optimorum autem exiguus ſemper numerus fuit; propterea non eos tantum hortor ad laudem capeſſendam qui præclarum aliquid hoc in genere conari atque ef-

ficere poſſunt: ſed eos etiam qui non poetæ quidem eſſe volunt, verum eo contenti ſunt; ſi poetarum lucubrationes legant ac penitus intelligant; ſi de hujuſmodi ſtudiis recte ac ſubtiliter judicent; ſi legitimum carminis ſonum digitis & aure calleant. *Etenim omnes artes*, ut ait Cicero pro Archia, *quæ ad humanitatem pertinent*, *habent quoddam commune vinculum*, *& cognatione quadam inter ſe continentur*. Nemo igitur jure vos reprehenderit, quicumque etiam in gravioribus diſciplinis multam operam ponitis, nemo vobis ſuccenſebit (date mihi veniam, ut cohortationem hanc meam verbis M. Tullii concludam, ex eadem Oratione pro Archia petitis) *ſi*, *quantum ceteris ad ſuas res obeundas*, *quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos*, *quantum ad alias voluptates*, *& ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporum: quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis*, *quantum denique aleæ*, *quantum pilæ; tantum ipſi vobis ad hæc ſtudia recolenda ſumſeritis*.

T E' Λ O Σ.

μόνῳ τῷ θεῷ τιμὴ ϗ δόξα.

JO-

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

JOANNIS ANTONII
V U L P I I
PRO LITTERIS HUMANIORIBUS
A D V E R S U S
EARUM CONTEMTORES
O R A T I O N E S T R E S.

Digitized by Google

JOANNIS ANTONII
V U L P I I

PRO LITTERIS HUMANIORIBUS

A D V E R S U S

EARUM CONTEMTORES

ORATIO PRIMA

HABITA IN GYMNASIO PATAVINO

VII. Idus Martias Anno MDCCXXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GRAVE crimen, ac vetus querela eſt, qua nonnulli, ſive imperiti, ſive malevoli, ſive ignavi, eas diſciplinas oppugnant quæ dicendi rationem tradunt: quum vel amicis clam inſuſurrent, vel etiam in publico aperte clamitent, non eſſe in iis cognoſcendis diutius immorandum; ſed potius contemni eas & abjici oportere:

non ſolum quod ad ſtudium veritatis nihil conferant, verum etiam quod bonis mentibus tenebras & caliginem offundant. Grave, inquam, crimen, ſed falſum; quod propterea nobis omni ope, omnique contentione refutandum, & a jugulo, ut ita dixerim, pulcherrimarum artium depellendum eſt. Videamus primum hodierno die, quomodo calumniam ſuam proponere, quibuſque argumentis probare & confirmare conentur: deinde biduo quod ſequetur, telis eorumdem occurremus, quæ profecto dici vix poteſt quam levia & hebetia ſint.

Adverſantur igitur, ſi illos audimus, hæ litteræ quæ politiores & elegantiores appellari ſolent, principi rerum humanarum philoſophiæ, qua nihil melius, nihil majus, nihil auguſtius a diis immortalibus eſt hominum generi conceſſum. Nam diſciplinæ hujuſmodi verſantur plurimum in copia, ornatu, elegantia ſermonis: de verbis ac de figuris verborum ſollicitæ ſunt: numerum, ambitum, concinnitatem, ſimileſque nugas alias conſectantur: quum ad philoſophum contra pertineat res ipſas perſequi, non verba, & quid potiſſimum, non quomodo dicat, conſiderare. Bonorum porro ingeniorum, & ad

ad ſumma quæque factorum ea certiſſima nota eſt, veritatem lucemque ſententiarum, non offucias ac præſtigias orationis amare. Ex adverſo, qui nullam philoſophiæ, vel parvam & indiligentem operam dederunt, quum a veritate abhorreant, neque boni viri eſſe, at ſolum videri ſtudeant, lucro potius & honoribus inhiantes, in eo plerumque ſunt occupati, ut comta & fallaci oratione plebeculam decipiant, hominumque judicia a recto abducant, miſereque depravent. Cupiditatibus enim auditorum blandiri inſtituerunt, & ſi quæ vitia in ipſis fuerint, ea mulcendo potius fovere, quam urendo & ſecando curare. Nam *quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas?* ait Perſius Satyra 1. Videmus autem, non ſolum agreſtes homines, qui plerumque intelligentia ſunt deſtituti, ſed etiam in urbe natos educatoſque, verum indoctos & diſciplinarum expertes, loquacium & callidorum prædam eſſe. Quemadmodum enim hamo prætentam eſcam devorant piſces, eaque ratione capiuntur; ita in foro judices, vel in concione cives lenociniis verborum illecti mirifice in fraudem inducuntur, ut & ſontes abſolvant, & innocentes damnent;

& profutura civitati aſpernentur, & nocitura amplectantur: quorum malorum omnium cauſſa, radix, & origo ſunt nequam oratores, ſapientia quidem omni carentes, at fraudium omnium & præſtigiarum peritiſſimi. Tanta vis eſt in ornatu atque elegantia verborum.

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque
Inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt,
Veraque conſtituunt quæ belle tangere poſſunt
Aures, & lepido quæ ſunt fucata ſonore.

ut recte animadvertit Lucretius lib. I. de Rerum Natura. Horum locutulejorum proventum uberrimum tulit olim vetus Græcia, qui umbram corpori, verba rebus, fictionem veritati præferrent: qui quum nihil ſolidi ab ineptis magiſtris didiciſſent, omnia tamen ſe ſcire gravi ſupercilio, magnoque cum faſtu profiterentur: quamquam & noſtro tempore illorum aliquæ propagines reliquæ ſunt. Hi Sophiſtæ appellabantur, in eo ſcilicet præcipue occupati, ut mendacio rem parerent atque exiſtimationem, inferioremque cauſſam ſuperiorem dicendo efficerent: cujus etiam rei viam & artem ſe tradituros adoleſcentibus diſcendi

cu-

cupidis, pollicebantur. Iccirco in honore magno apud Græcorum vulgus fuerunt Gorgias Leontinus, Hippias Eleus, Polus Agrigentinus, Thraſymachus Chalcedonius, Protagoras Abderites, Prodicus Chius; ut plures alios omittam. Qui omnes populari judicio freti, ſuaque arrogantia ſubnixi, quid veri germanique philoſophi de ipſis exiſtimarent, nihil penſi habebant, eorumque inimicitias facile admodum ſuſtinebant. Contra, virorum ſapientium oratio ſimplex, gravis, preſſa, & ab inanibus ornamentis nuda eſt, circumciſis omnibus quibus, tamquam ſupervacaneis, immo noxiis, non indiget veritas. Et quemadmodum loquacitas, & orationis deliciæ, haud leve ſtultitiæ argumentum eſt; quod muliercularum exemplo confirmari facile poteſt: ita verborum paucitas, & ſententiarum pondus, ingenii, doctrinæ, ſapientiæ τεκμήριον haberi debet. Huc pertinet dictum illud Theocriti Chii de Anaximene, futili & nugaci oratore: ἄρχεται λέξεων μὲν ποταμὸς, νοῦ δὲ σταλαγμός. *Incipit verborum quidem flumen, ſed mentis gutta*. Nonne manifeſta inſania eſt, ſententias pulcherrimas, graviſſimas, utiliſſimas, minime probare, quæ non illuſtrium

ſele-

ſelectorumque verborum fuco & pigmentis commendentur? ut ſi quis quum ſiti ardentiſſima excrucietur, frigidam tamen, niſi in aureo poculo apponatur, faſtidiat, & procul abjiciat? Huic porro & oratorum & auditorum dementiæ maxime infeſtus fuit Socrates ille Sophroniſci filius, Platonis magiſter, ab Apollinis oraculo mortalium ſapientiſſimus jure ac merito appellatus: qui dum vixit, perpetuum cum Sophiſtis bellum geſſit, eorum fallacias detegendo, animos & arrogantiam obtundendo. Neque Socrates unus, morum ſeveritate, vitæque duritia inſignis, ab his dicendi corruptelis abhorruit: ſed etiam (quis crederet?) Epicurus, magnus ille voluptatis præco & defenſor, nullam eruditionem eſſe duxit niſi quæ beatæ vitæ diſciplinam juvaret: quamobrem a poetis evolvendis rhetoribuſque abſtinebat; in quibus videlicet nullam ſolidam utilitatem, ſolamque puerilem delectationem eſſe arbitraretur. Quod ſi ab humanioribus litteris in philoſophiam, & qualecumque ſtudium veritatis tot ac tanta detrimenta profluxerunt; non minorem, immo longe maximam, inquiunt, labem ex iis contrahere poteſt

Chri-

Chriſtiana veritas, cui præcipue nos omnes dare operam debemus. Profecto ſi cum Platonis, Ariſtotelis, aut Marci Tullii voluminibus Divinæ Litteræ comparentur, ſtilus earum inornatus & rudis videri poteſt: abhorrent enim Sacri Scriptores a nitore illo & munditia orationis qua profani delectantur: neque in ſingulis verbis penſitandis occupati ſunt; neque paria paribus referre curant: neque ambitus affabre factos, aut clauſulas apte cadentes conſectari ſolent. Ineptum enim eſſet, atque argumenti ſeveritate alienum, res verbis poſthabere, & ad populum exquiſita nimis dictione uti. Quum enim docendis omnibus, & omnium moribus emendandis Divini Libri accommodati eſſe deberent, iccirco populari ſermone conſcribendi fuerant, ut etiam ab expertibus interiorum litterarum facilius intelligi poſſent. Quemadmodum igitur conchylia extrinſecus aſpera, informia, ſcabra, uniones & margaritas intus occludere conſueverunt; & in rupibus humano cultu vacantibus latent nobiles auri fodinæ; ita ſub ſimplici atque horridulo verborum cortice divina myſteria continentur. Propterea viri ſanctiſſimi,

qui

qui jam inde a primis Eccleſiæ temporibus Libros illos ex Dei ore profectos commentariis explicandos ſuſceperunt; maxime vero Theologi Scholaſtici, qui ſanam doctrinam deinceps tractaverunt; id elegiſſe videntur ſcribendi genus quod a faſtu oratorio, ut ita dixerim, quam longiſſime abhorreret; ac, verborum cura amandata, & Grammaticis relicta, uni pietati ac veritati perquirendæ toto animo incubuiſſe. Nonne videmus (ajunt hi noſtrarum litterarum reprehenſores), Calvinum, Bezam, Caſtalionem, & reliquos hujuſmodi homunciones, qui ſanctiſſimam religionem a majoribus acceptam non abjecerunt ſolum, ſed etiam ſcriptis infandis perſecuti ſunt, in eo elaboraſſe, ut comti, nitidi, elegantes, Ciceroniani denique in ſcribendo haberentur? ut ſcilicet fallacis doctrinæ venenum in animos hominum blandius inſtillarent, ac litteratorum plebeculæ nullo negotio fucum facerent? Id igitur oſtendere poteſt, rhetoricæ ſtudium, rem eſſe periculi plenam: quæ ſcilicet a piis vereque doctis contemnatur, ab impiis contra diligenter excolatur, & permagno æſtimetur. Neque nos profecto decet, qui Chriſtiani

ap-

appellamur, nugis hujuſmodi atque oble-ctamentis aures & animum dedere: ſi e-nim his diutius aſſueverimus, in id vitium incidemus quo vitio Ethnici olim laborabant, ut ſcilicet Divinorum Voluminum ſtilum faſtidiamus, ac tamquam rudem & barbarum improbemus. Ut enim qui ſecundæ menſæ delicias, cruſtula, bellaria, & gulæ irritamenta nimium appetunt, palato corrupto, ſolidiorem magiſque ſalubrem cibum nonnumquam aſpernantur; quæ res bonæ valetudini contraria eſt; ita qui orationis cultum ac nitorem, tamquam rem maximi pretii, ubique requirunt, paullatim omnem veritatis guſtum amittunt. Immo hic deliciarum appetitus eo progreditur, ut jam nulla ſit fabula, nullum laſcivientium & delirantium ingeniorum portentum ac ſomnium, quod, ſi concinne ac polite exponatur, depravatis hujuſcemodi mentibus perſuaderi non poſſit. Hoc verum eſſe oſtendunt magna detrimenta quibus Chriſtianam rempublicam hoc poſtremo tempore affecerunt eloquentes nonnulli homines, at pravis opinionibus miſere imbuti, qui librorum peſtes in vulgus ediderunt, ex quibus hæc præclara decreta hauriuntur: Nihil na-

turâ

turâ honeſtum eſſe, vel turpe: Nullius auctoritati quicquam tribuendum: Utilitatem ſolam legum ac juſtitiæ fontem eſſe: A rerum naturæ ignoratione, & qui hanc neceſſario conſequitur ſtulto pavore, religionem omnem profectam: Mundum eſſe Deum, atque ab omni æternitate fuiſſe: Animorum immortalitatem in fabulis anilibus & viſis inanibus numerandam: Nos nobis ipſis falſa libertatis ſpecie blandiri, quum omnia fato & neceſſitate eveniant: Qui ſtrenue voluptati operam dederit, ac fanda nefanda rei augendæ, potentiæque amplificandæ cauſſâ fecerit, hunc ſapientiſſimum habendum. En quot, inquiunt, & quam magna incommoda per eloquentes atque elegantes homines invecta ſunt: quibus non ſolum virtus & honeſtas omnis, ſed præterea humana ſocietas, & rerumpublicarum fundamenta penitus convellantur. Quid vobis videtur, auditores, de hac tam gravi tamque infeſta adverſus humaniores litteras accuſatione? Paulliſper aſſenſum ſuſtinete, ac perendie frequentes rurſum adeſte, ut quid adverſariis communibus reſpondendum ſit, a nobis accipiatis.

JOANNIS ANTONII
V U L P I I
PRO LITTERIS HUMANIORIBUS
ADVERSUS
EARUM CONTEMTORES
ORATIO ALTERA
HABITA IN GYMNASIO PATAVINO
V. Idus Martias Anno MDCCXXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SUPERIORE ſchola, brevibus argumenta propoſuimus quibus, tamquam venenatis telis, adverſus eloquentiam & humaniores litteras uti ſolent barbari quidam homines, magna in oculis gravitate, magna frontis contractione, quaſi nudæ ac germanæ philoſophiæ patrocinio ſuſcepto: dictitantes videlicet, ſermonis ornatum, ver-

verborum delectum, figurarum concinnitatem, numeroſam compoſitionem, carminum rationem, poeticas fabulas, res eſſe philoſopho & Chriſtiano prorſus indignas. Occurram igitur hodie ac perendie, quantum potero, leviſſimæ factioni, atque ineptas calumnias, non ab ullo veritatis amore aut ſtudio, verum ab inſcitia, ignavia, ſtupore, agreſti rudique natura, deſiderio denique ſuam bonarum artium inopiam & jejunitatem obtegendi profectas, infirmabo & refutabo. Et hodierno quidem die, politiorem humanitatem cum philoſophia mirum in modum conſentire, oſtendam: proxima diſputatione oſtenſurus, neque Chriſtianæ rei, neque Theologiæ, neque Divinarum Litterarum ſolidæ interpretationi eloquentiam & eruditionem quicquam officere, immo vero prodeſſe plurimum; ac, ſi quis ea non abutatur, non mediocri ornamento & præſidio eſſe. Primum igitur de duobus propoſitis aggrediamur.

Quodcumque rectum eſt, laudabile, honeſtum, id ad pravum ſemper aliquid, minus decorum, turpe, quodammodo accedere videtur: & quamvis ejus diſſimillimum ſit, nihilominus ab imperitis judicibus

cibus

cibus idem omnino exiſtimatur, & in eorum reprehenſiones facile incurrit. Propterea parcum hominem & frugi, familiæ ſuæ conſulentem, ii qui parſimoniam ab avaritia internoſcere non poſſunt, avarum appellant: contra, benignum, liberali ſumtu gaudentem, a ſordibus alienum, magnificum, ſplendidum, prodigi ac nepotis nomine infamant: etenim benefacere, de ſuo indigentibus largiri, non amare pecuniam, nihil aliud eſſe putant quam rem prodigere, ac patrimonium diſſipare. Ita mulierem pudicam & probam, ruſticitatis crimine accuſant: eleganti ac venuſtæ, impudicitiæ notam inurunt. Hæc judiciorum perverſitas ad elegantiores etiam litteras elevandas & improbandas translata eſt. Quum enim aliud omnino ſit propria & commoda locutio, aliud exquiſitus orationis ornatus; homines malevoli, aut ſimilitudine quadam decepti, ſtatim ut audiunt philoſophum Latine loquentem, hoc eſt propriis & ad rem ſignificandam idoneis verbis utentem, ornatui nimio indulgere dicunt, philoſophicæ gravitatis & dignitatis oblitum. Solam enim barbariem, quæ tabernam, culinam, ſtabulum oleat: ſolam ſtribliginem horrido-

rum & ineptorum verborum: ſolam Getarum, vel pſittacorum potius eloquentiam ſcholis philoſophorum convenire exiſtimant. Atqui commoda propriaque locutione uti certe debent qui graviores etiam diſciplinas profitentur, & de loco ſuperiore adoleſcentibus tradunt: ornata, comta, fucata, non item. Longe autem diſtat nitidum a fucato. Quemadmodum enim ſaltant matronæ, ſaltant & meretrices; matronalis tamen ſaltatio differt a meretricia ſaltatione: nam & Africanus ille major triumphale corpus movit ad numeros, neque tamen dignitatem amiſit: eodem pacto a verborum ſordibus poſſumus in oratione abſtinere, & nihilominus ejus caſtitatem, ut ita loquar, integram & incorruptam ſervare. Proprietas vero ac nitor verborum pertinent primum ad veritatem: deinde ad intelligentiam. Nam qui profitetur, ſe Latine locuturum aut ſcripturum, is ne falſus deprehendatur, non debet certe Gothicas, vel Sarmaticas, vel belluarum potius quam hominum voces uſurpare. Quomodo autem ſcire poterunt juvenes, quid unaquæque vox a magiſtro prolata ſignificet, niſi magiſter eas voces adhibeat quæ a probatis

ſcri-

ſcriptoribus olim receptæ ſunt, atque uſu tritæ? Iccirco verba obſcuræ, vagæ, incertæ ſignificationis procul abjicere oportet. definitis porro & perſpicuis utendum eſt. bonæ enim rerum definitiones a rectis verborum definitionibus pendere ſolent. Confugiendum igitur ad Lexica, ſed multo magis ad claſſicos Latinitatis auctores, ut inde veram & legitimam verborum ſignificationem hauriamus: neque grammaticorum labores contemnendi ſunt: quum turpe omnino ac ridiculum ſit, eum qui grammaticam vix a limine ſalutaverit, illotis manibus ad rerum ſublimium tractationem accedere. Ex vocum igitur proprietate, & apta collocatione oritur ſermonis perſpicuitas. Niſi autem fueris in dicendo perſpicuus, alios docere non poteris: & præterea in ſuſpicionem merito venies, ea te minus intelligere atque comprehendere quæ, præterquam obſcuris verbis, & perplexo confuſoque eorumdem ambitu, explicare neſciveris. Ut enim ait Horatius in Epiſtola ad Piſones:

Scribendi recte, ſapere eſt & principium & fons:
Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ.
Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.

Quod non ſolum ad ſcriptionem, ſed et-

iam ad ſermonem & dictionem accommodari poteſt. Certe nihil tam furioſum, quam verborum vel optimorum ſonitus inanis, nulla ſubjecta ſententia nec ſcientia, teſte Cicerone lib. 2. de Oratore: quid ſi verba fuerint horrida, e trivio arrepta, a rudibus hominibus & litteraturæ omnis expertibus excogitata; dubiæ plerumque atque obſcuræ ſignificationis; ne ab ipſis quidem utentibus ſatis intellecta? Dicemuſne, eum qui ita loquatur, philoſophorum inventa didiciſſe? cum Platone, Ariſtotele, Theophraſto familiariter verſatum fuiſſe, quibus nihil uberius, nihil preſſius, nihil elegantius, aut eruditum magis? Dicemuſne, hoſce homines, balbutientes verius quam loquentes, rem providiſſe? At ſi providiſſent, verba ſequerentur non invita: verba, inquam, non voces barbaræ, ſonique inconditi: rectæ verborum comprehenſiones, non acervi quidam enormes, & ſcopæ diſſolutæ. Miſeret me nonnullorum qui ſe Peripateticos profitentur, quum ſint ſcholæ Ariſtoteleæ dedecora & carcinomata. nimirum doctrinam Ariſtotelis non ex puriſſimis fontibus, verum e turbidis lacunis hauſeruut: non ipſa philoſophi

ſcri-

ſcripta legerunt, non Græcos interpretes optimos, ſed vel Arabes, vel neſcio quos Europeos: quid enim dicam Latinos, quum in iis nec vola nec veſtigium Latinitatis deprehendatur? Ignorant ſcilicet hujuſcemodi homines, aut non meminerunt, Ariſtotelem quum ſapientiæ omnis, tum etiam rhetoricæ artis ſummum fuiſſe magiſtrum. Propterea illos infantiæ ſuæ minus pudet, quum tamen ſe tanti philoſophi diſcipulos appellare non dubitent. Non igitur Epicurum peſſimæ cauſſæ defenſorem advocent, qui artem dicendi, & poetarum libros omnes, tamquam puerilium animorum oblectamenta, fertur contemſiſſe. Nam Epicurus (videte hominis vecordiam & inſaniam) dialecticam quoque, & mathematicas diſciplinas contemſit: quamobrem in pudendos admodum & philoſopho indignos errores incidit. Verum quem mihi Epicurum narrant? Conſulite, ſi vobis lubet, aliquas ejus Epiſtolas quas Diogenes Laertius poſteritati ſervavit libro x. de Vitis eorum qui in philoſophia claruerunt. Invenietis, eum non quidem aureum orationis flumen effundere, ut Ariſtotelem: non ſublimi & Platonico dicendi genere uti: ſed tamen a

verborum proprietate non abhorrere, nec ſe barbarum, & elinguem omnino præbere. At pauca ſapientes loquuntur, brevia, caſtigata: inani omni loquacitate circumciſa & abjecta: in acie enim quam in pompa ſpectari malunt. Fatemur, id plerumque fieri a ſapientibus: nonnumquam tamen ad ſermonis copiam & ſuavitatem deſcendunt, præſertim ſi cum populo agant, qui diſputationes nimis acutas percipere non poteſt. Nonne Homerus inducit Neſtorem atque Ulixem, viros præſtanti ſapientia & eloquentia, orationem fundentes melle dulciorem; qua ſcilicet audientium animi permoverentur, & quo ipſi vellent, blande perducerentur? Melius profecto de poſteritate meritus fuiſſet Plotinus, doctiſſimus ille Platonicus, ſi planius aliquanto ſcribere voluiſſet, neque obſcuritatem orationis adamaſſet, & quaſi dedita opera conſectatus eſſet. Poſſumus igitur, optimi adoleſcentes, immo debemus, & veritati rerum ſtudere, & proprietatem verborum non aſpernari: neque enim hæc duo pugnant inter ſe; verum alterius

Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Græci veteres eodem vocabulo rationem & ora-

orationem ſignificaverunt: eam λόγον appellantes. λόγῳ nimirum, id eſt ratione & oratione, maxime diſtamus a feris.

Quid voveat dulci nutricula majus alumno,
Quam ſapere, & fari ut poſſit quæ ſentiat? --

Hæc duo excellentiſſima bona, & hominis propria, nobis diligenter excolenda ſunt. Nolim vero exiſtimetis, me quum proprietatem verborum, & emendatum quemdam illorum ambitum laudo, nimium etiam orationis ornatum ſuadere velle. Hic ſane moleſtus & anxius ornatus tantum abeſt ut philoſophum deceat, ut ne in oratore quidem, aut poeta qui frugi eſſe velit, tolerabilis eſſe videatur. Eſt ubi nullis ornamentis uti oporteat, quum videlicet

Ornari res ipſa negat, contenta doceri:

eſt ubi paucis & modicis: numquam tamen arculas omnes effundere, numquam pigmenta omnia conſumere debemus. Nam ut in pictura & architectura quicquid nimium & coacervatum eſt, ab oculorum judicio reſpuitur: ſobria vero & parca delectant magis: ita in dicendo floſculi, veneres, deliciæ nimis crebræ & exquiſitæ ſatietatem pariunt, ac præterea ſententiam & rem ſubjectam obſcurant, ut intelligi-

vix poſſit. &, quemadmodum *ſi luxuriâ foliorum exuberet umbra*, quod Virgilius ait in Georgicis; per tot pampinos vix ullus tranſitus relinquitur luci veritatis. Hanc porro veritatem ipſam debemus amare, non verba: quæ ita demum pulchra & bona ſunt, ſi veræ alicui ſententiæ explicandæ inſerviant. Veritas autem rudibus etiam expreſſa verbis, polito & exornato mendacio longe anteferenda eſt. Neque rhetorum & poetarum eloquentiam a philoſophis exigamus: qui ſi eam aliquando afferant, laudandi; ſi numquam, non ſunt ob eam rem admodum reprehendendi. Sed, auditores, aliud eſt dicere, aliud loqui. Emendate ac proprie loqui pertinet etiam ad philoſophos: ornate atque eleganter dicere, non item. Inepti profecto habendi qui de litterula, de vocula vitilitigant: Demoſthenes enim ob hujuſmodi quiſquilias reprehenſus, ajebat, non in eo poſitas eſſe Græciæ fortunas. Satis eſt ſi corpus ipſum orationis Latinum ſit, atque ab intelligentia communi non abhorreat: ſervandæ tamen & adhibendæ voces quas appellant *τεχνικάς*: ſunt enim verba quædam propria Theologorum, Philoſophorum, Dialecticorum,

rum, Geometrarum, Rhetorum, Muſicorum, ſingularum denique artium & diſciplinarum, quæ ullo modo immutare non liceat. Unaquæque ars utitur vocabulis populo incognitis, uſitatis ſibi. Quando autem potiſſimum novæ fingendæ ſint voces,

Propter egeſtatem linguæ, & rerum novitatem; quæ res nonnumquam neceſſaria, at ſemper cum periculo conjuncta eſt, alio tempore docebimus. Hos interea pædagogos rideamus qui philoſophi aut rhetoris nævos aliquos pulchro corpori inſperſos notare non deſinunt: verbum unum ὀβελίζοντες; immo vero, ſi diis placet, ſtatum, geſtum, vultum, vocem, ſcreatum; capillum, pæne dixerim, anulum, & chirothecas dicentis calumniati: de rerum ponderibus judicare neſcientes, ut ruſtici ſolent, ſed in ſolis nugis conſiderandis occupati. Nonne rideretis qui oratorem laudaturus, affirmaret, bene veſtitum eſſe in dicendo? aut ſi quis de ſenatore graviſſimo concionem habente, ſubraucum videri ſibi, ſancte dejeraret? quemadmodum olim Catullus eum riſit qui Licinium Calvum, brevis hominem ſtaturæ, verum eloquentiſſimum, perorantem audiens, *Dii magni, ſalaputium diſertum!* in

co-

corona exclamavit. Hoc genus hominum leviſſimorum & otio abundantium ludere, ut libuerit, atque ineptire ſinamus. Utuntur ſcilicet audacia pro ſapientia: ſic enim edocti ſunt. Nos propoſitum alacres urgeamus. Perendie, auditores, frequentes adeſte: ego, quod ad me attinet, cultum orationis modicum Chriſtianæ veritati contrarium non eſſe, planum faciam.

JO-

JOANNIS ANTONII
VULPII
PRO LITTERIS HUMANIORIBUS
ADVERSUS
EARUM CONTEMTORES
ORATIO TERTIA
HABITA IN GYMNASIO PATAVINO
III. Idus Martias Anno MDCCXXXVII.

NON paucos ad hominum perniciem rhetorica, & reliquis bonis artibus abuti, certum atque exploratum eſt. Ut enim qui probitate ac ſapientia Deum Optimum Maximum, quoad licet mortalibus, imitantur, ex malis etiam rebus haud contemnendas utilitates, atque uberem virtutis materiem colligere noverunt, eas nimirum

vel

vel emendantes, vel ſuſtinentes, vel magna cum gloria ſuperantes: ita improbi, avari, libidinoſi, crudeles, ac reliqui omnes qui officio neglecto cupiditatibus indulgent, etiam quæ ſuapte naturâ bona ſunt atque utilia, corrumpunt ſæpenumero miſereque depravant. Audite Ovidium lib. 2. Triſtium:

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Igne quid utilius? ſi quis tamen urere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum, modo dat medicina ſalutem;
Quæque juvet, monſtrat, quæque ſit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur, innocuas ut agat, facundia, cauſſas:
Protegit hæc ſontes, immeritoſque premit.

Ad quos igitur pertinet cavere ne quid civitas & reſpublica detrimenti capiat, ii legitimum & innoxium rerum uſum præſcribere debent, non res ipſas abjicere, & ab hominum commercio ſeparare. Ignem diligenter cuſtodiunto, ac finibus coercento: neceſſarium enim eſt ignem eſſe in civitate, quamquam ex igne damna plurima & ingentia non raro accipiuntur. quod quum eve-

evenerit, negligentiæ hominum potius, quam ipſius elementi naturæ tribuendum eſt. Medici ſunto, circumeunto, lectulis aſſidento, artem ſalutarem caſte & cum fide tractanto. Non autem medicinæ culpa erit, ſi quis forte ex medico veneficus exſiſtat. Neque artificis vitium in artem ipſam temere transferendum eſt. Milites, principum ſatellites, viatores etiam arma capiunto. Vim vi repellere licet: hoſtes, latrones, feræ hominum vitæ inſidiantur. Præſto ſit bonis unde a malorum impetu ſe, ſua, ſuoſque defendant. Eodem pacto adoleſcentes rhetoricam artem diſcunto, cauſſas in foro agunto, innocentes tueantor, ſceleratos accuſanto, profutura ſuadento. Expedit eſſe rhetoricam inter cives, ut quæ vera atque utilia ſunt, ne illa pravis judiciis evertantur, neque a falſis & iniquis hominibus opprimantur. Eſt enim regium, liberale, munificum, ut Craſſo videtur apud Ciceronem libro 1. de Oratore, opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate. Præterea cohortari ad virtutem, a vitiis revocare, vituperare improbos, laudare bonos, cupiditatem frange-

re,

re, mœrorem levare. Popularis hæc dicendi ratio neceſſaria omnino eſt, quæ communibus & probabilibus argumentis utitur in perſuadendo. Sunt enim ſæpius apud imperitos & diſciplinarum rudes verba facienda, qui tenuem & aridam orationem, a ſcientia profectam, minus percipere poſſunt: & iccirco ſtudium & operam exercitati oratoris requirunt, qui res perceptu difficiles facultate dicendi ad communem intelligentiam traducat. Deinde utilis eſt rhetorica quia docet in contrarias partes diſputare; non ut ipſi nobis adverſemur, & ex eodem ore, ut Satyrus ille in Apologo, calidum & frigidum emittamus: verum ut vitioſas adverſariorum rationes diſcernamus & refellamus. Poſtremo expedit, ſeipſum oratione poſſe defendere: quemadmodum enim turpe eſt, ſe robore corporis tueri non poſſe, quod ignaviæ ac timiditati tribui ſolet; ita contemnendus eſt cui ad ſuum jus propugnandum nulla eſt in oratione defenſio. immo tanto magis hoc turpe videri debet, quanto magis oratio propria hominis eſt, quam uſus corporis, quod nobis eſt commune cum belluis. Male ſit autem veteratoribus & ſcelera-

tis

tis illis qui re optima peſſime utentes, eam apud vulgus infamant. Sunt ἄθεοι quidam homines, vel ἑτερόδοξοι, qui vires eloquentiæ omnes, his præſertim temporibus, eo conferunt, ut religionem labefactent, juſtitiam & honeſtatem funditus evertant, libidines doceant, monſtra opinionum, & inſana multa proferant, ac verborum lenocinio commendent. In hos impios & male feriatos leges inſurgant gladio ultore: comburantur atque igni æterno damnentur hæ librorum peſtes: exſcindantur nequiſſima germina: eluantur hæ maculæ, ſi fieri poteſt, & genus humanum ab hac labe expurgetur: ceterum eloquentia ipſa retineatur; & ob eam cauſſam potiſſimum retineatur, ut facilius peſſimis nebulonibus obviam ire, ac diræ factionis impetum frangere & debilitare poſſimus. Non enim Chriſtianæ religioni, vel Divinarum Litterarum tractationi & interpretationi, rhetorum aut poetarum facultas contraria eſt. Primum ſcilicet; quod etiam ſuperiore ſchola monuimus; omni apud populum verba facturo, omni cauſſidico, omni ſcriptori, quibus publica utilitas audientium aut legentium propoſita ſit, verbis propriis utendum eſt,

de-

definitis, perſpicuis; non barbaris, vagis, obſcuris. Quomodo autem hujuſmodi verba eligantur, quæ ſit eorum germana ſignificatio, politiores litteræ oſtendunt. Deinde ornatus etiam paullo ſplendidior, ubi tempus, locus, argumentum poſtulaverint, mire convenit rebus divinis. Rerum enim ſublimitati ſplendida verba & electa, non humilia & de trivio ſumta, accommodata eſſe videntur. Quis ferat regem vel ſenatorem libenter vinitorum aut meſſorum verba uſurpantem? Nonne templa magnifica, ſtatuis, picturis, egregiis operibus ornata, Deo colendo erigimus? nonne aureis vaſis & argenteis fit res divina? nonne altaria & ſepulcra Martyrum e Pario marmore, Lunenſi, Numidico, Thaſio, Caryſtio, Lacedæmonio conſtruere ſolemus? nonne holoſericis & auratis veſtibus induuntur ſacerdotes? Arca olim Fœderis intus & extrinſecus auro tota cooperta erat. Cur igitur in tanta ornamentorum varietate quæ ad rem divinam faciendam, ad feſtos dies agendos, ad ſupplicationes, ad cetera quæ ſunt religionis, adhibentur, ſola verba placebunt incomta, barbara, ad ſignificandum inepta, male diſpoſita, nulla bonorum

ſcri-

ſcriptorum auctoritate probata? niſi ut aliquorum inſcitiæ atque ignaviæ faveamus, qui quum vix idonei grammaticorum diſcipuli eſſe poſſe videantur, tamen illotis manibus in Prophetarum ac Theologorum adyta irrumpunt, nulla Hiſtoriarum & Antiquitatis notitia imbuti, & a litterarum præſidio omnino imparati. Hi vero cum doctiſſimis viris imparem pugnam ſuſcipere non verentur, eos aſſidue criminantur, eloquentiam, profanam hiſtoriam, poeſim, Græcæ Latinæque linguæ ſtudium contemnunt atque irrident: in hujuſmodi accuſationibus eloquentia quadam ſua, nimirum putida & agreſti, utentes. At quæ tandem argumenta proferunt, ut malam cauſſam tueantur? Primum ajunt, Divinos Veteris ac Novi Fœderis Libros inornato & ſimplici ſtilo conſcriptos eſſe: abhorrere Prophetas & Apoſtolos ab inani ſtrepitu verborum: veritatem apud illos propria vi & facultate conſiſtere, non adminiculis aliunde quæſitis. Debere propterea virum Theologum, vel Divinorum Oraculorum Interpretem, ampullas omnes projicere, faſtum eloquentiæ aſpernari, cultum orationis, & quicquid artem olet, ſcriptoribus

profanis relinquere. Graviſſimum profecto eſt quod objiciunt. Non tamen illis facile conceſſerim, Divinorum Voluminum locutionem rudem ſemper eſſe atque inornatam. Immo plerumque magnifica eſt, ſublimis, vehemens, tropis & figuris diſtincta, quæ animos legentium permoveant, & profanorum auctorum vim omnem & ornatum exſuperent. Agnovit hoc & ingenue faſſus eſt Dionyſius Longinus, rhetor eximius, quamquam a ſacris noſtris alienus, qui ſectione 9. libelli περὶ ὕψους, in illis Dei apud Moſen verbis miram ſublimitatem animadvertit: γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο. *Fiat lux, & facta eſt. fiat terra, & facta eſt*. Præterea Libri Sacri poeſim divinam continent, cui comparata languent, ac tantum non ſordent carmina Homeri, Pindari, Theocriti, Virgilii, Horatii, & reliquorum poetarum quicumque optimi & excellentes vulgo habentur. Legite duo Cantica Moſis, Canticum Canticorum, δρᾶμα illud ἐρωτικώτατον, librum Jobi, Pſalterium, Threnos Jeremiæ. Quid ſuavius, quid magnificentius, quid illuſtrius, quid uberius, quid ad reficiendum animum & delectandum aptius? Diffiteri non poſ-

ſu-

ſumus, Prophetarum aliquos incomtum ſtilum adhibere voluiſſe; in quibus numeratur Amos. Aliqui tamen inſurgunt, & regio quodam more loqui videntur, puta Iſaias, Sophonias, & ſi qui ſunt alii. Ut verbo concludam, rhetorica quædam ars, vulgari arte multo nobilior, e Sacra Scriptura confici poſſet: quod ſane audio alicubi terrarum tentatum eſſe. Utinam igitur qui eloquentiæ ſtudium accuſant, in Divina Volumina ſedulo intuerentur, eorumque ſermonem imitari ſtuderent. Veniamus ad ſanctos Eccleſiæ Patres. Hi ſane omnes, Græci præſertim, eruditiſſimi fuere, & quantum ferebant tempora quibus ſinguli vixerunt, eloquentes etiam & comti. Quid memorem Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, qui cum Iſocrate ipſo ac Demoſthene de principatu eloquentiæ certare poſſint? Hos nemo doctorum, nemo diſertorum contemſerit, niſi cui forte palatum fatuum ſit. Non poſſum autem hoc loco prætermittere inſigne Gregorii Nazianzeni teſtimonium, depromtum ex Laudatione Baſilii Magni, quod omnibus bonarum artium reprehenſoribus pudorem incutere, ac ſilentium indicere poteſt. Id

Latine redditum hanc ſententiam comprehendit: *Inter omnes ſanæ mentis homines conſtare arbitror, eruditionem omnium humanorum bonorum principatum tenere: non illam ſolam generoſiorem ac noſtram, quæ contemto omni ſermonis lepóre & ornatu, ſaluti uni, atque earum rerum pulchritudini quæ animo percipiuntur, arctiſſime inhæret; ſed externam etiam, quam plerique Chriſtiani pravo quodam judicio, ut inſidioſam ac periculoſam, ac procul a Deo avertentem, reſpuunt.* Sani homines, ut auditis, eruditionem, non ſolum ſacram, ſed etiam profanam, rem præclariſſimam æſtimant. Inſani igitur qui contrarium ſentiunt. Sed pergit Nazianzenus, & oſtendit in eadem Laudatione, *minime damnandas aut negligendas eſſe litteras iſtas: & ſtultos atque imperitos habendos qui hoc exiſtimant: qui omnes eſſe ſui ſimiles cupiunt; ut privatum eorum dedecus ſub communi delitescat: nec quiſquam, eorum inſcitiam prodat & redarguat.* Porro apud Latinos Hieronymus & Auguſtinus multiplici eruditione, & non vulgari eloquentia præcellunt. Divus Bernardus, quamquam in ſolitudine educatus, Perſium videtur legiſſe, ut ex ejus libris apparet. Divus Thomas Aqui-

nas

nas in Summa Theologiæ a recitandis Terentii & Valerii Maximi verbis non abſtinet. Imitabantur ſcilicet D. Paullum Apoſtolum, qui Epimenidis, Menandri, atque Arati, vetuſtorum poetarum, teſtimoniis utitur. Hiſtoria certe profana, ut de hac potiſſimum loquar, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſtudioſis lucem affert, & cum illa neceſſario conjungenda eſt. Græcæ ac Latinæ linguæ cognitio Interpretes Divinorum Librorum haud parum juvat: quod nemo negaverit, niſi cui ſol ipſe non lucere videatur. At, inquiunt, Calvinus, Beza, Caſtalio, Melancthon, eloquentiæ ſtuduerunt: propterea ſermonis elegantia homini Catholico ſuſpecta res eſſe debet. Contra,

-- -- -- -- -- -- nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time quum pocula ſumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

His enim verſibus Juvenalis ad rem ſuam abutuntur. At nos reſpondemus, nonnullos etiam Catholicos Theologos eleganter ac diſerte ſcripſiſſe, neque tamen ulla in re pietati nocuiſſe: inter quos eminent Melchior Canus, Alanus Copus, Dionyſius Petavius; ut alios plures omittam. Immo vero ne ab ἑτεροδόξοις merito irrideamur,

bonis artibus operam dare debemus. Ineptos nihilominus eſſe dicimus quicumque a vocibus conſecratis abſtinent, & pro illis ſupponunt alias, tamquam Latinas magis: quod fecit Sebaſtianus Caſtalio in ſua Divinorum Librorum interpretatione. Veteres illi Patres, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Lactantius, Auguſtinus, alii, adverſus Ethnicos bello ſuſcepto, ipſorum armis eos confoderunt: neque tamen ſe ruſticos & agreſtes præbuerunt quum ad Chriſtianos ipſos verba facerent. Hæc omnia dicere volui ut oſtenderem, litteras humaniores utiliſſimas eſſe: eloquentiam vero non ſolum philoſophiæ, ſed etiam Chriſtianæ ſapientiæ miniſtram egregiam haberi oportere. Niſi autem hujuſmodi eſſet, eam omnino abjicere ac negligere deberemus. Omnia enim ſtudia noſtra pietati conducere debent, atque ad æternam ſalutem viam hominibus patefacere, ſternere, ac munire.

F I N I S.

IN-

Digitized by Google

INDEX

IN LIBRUM

DE UTILITATE POETICES.

A

ABJURARE, *quid proprie ſit.* pag. 49
Acuſilaus Argivus, ſolutæ orationis inventor. 7
Admirationem movere debent poetæ. 227
Adoleſcentiæ temeritas. 144
Adoleſcentium noſtri temporis ſtudia. 133
Adulatio poetis vitanda. 166
Alexander Magnus, poetarum judex non idoneus. 27. 28
Alexis Virgilii. 223. 224
Alfonſus Rex Neapolitanus Antonium Panormitam locupletavit. 26
Amphion, vir ſapiens. 8
Anacreon Teïus pecuniam contemſit. 24. 25. *ejus mores quales fuerint.* 190. 223
Apollo, Jovis miniſter. 79
Appius Cæcus, orator vetuſtiſſimus. 7
Ariſtogiton & Harmodius. 112
Ariſtophanis vitia. 254. 255
Ars poetis non inutilis. 17
Athenæus explicatus. 158
Athenienſes veteres ad virtutem inſtituti. 75
Attius quidam, ineptus poeta. 16
Avaritia divitum adverſus poetas. 259. 260
D. *Auguſtini adoleſcentis lacrimæ inanes.* 201
Αὐτοσχεδιάσματα. 261

B

BACCHUS, *doctor Dithyrambi.* 71
Bacchylides, a Pindaro contemtus. 15
Bargæus (Petrus Angelius) laudatus. 212
Benii (Paulli) ſententia de facultate Tragœdiæ. 92. 93. 98. 99. 100.
Bilis atra poetas efficit. 242. 243
Boni natura publica. 30
Boſſuetius (Jacobus Benignus) laudatus. 131

C

CACUS *latro.* 38. & ſequu.
Cadmus Mileſius, ſolutæ orationis inventor. 7
Cæſaris judicium de Terentio. 234
Callimachus arte valet. 17
Cantica incondita. 261. & ſequu.
Carmina inepta moleſtiam creant. 28. 29
Carneades helleboro uſus. 16
Caſaubonus (Iſaacus) notatus. 70
Catullus. ab eo plura ſumſit Virgilius. 45
Chœrilus, malus poeta, ab Alexandro ditatus. 27
Ciceronis perorationes vehementes. 203
Coacta & nimium elaborata carent venuſtate. 16
Cogitatio dictioni antevertere debet. 266. 267
Comica vis. 234
Comicarum ſententiarum nequitia. 127. 128
Comici quidam poetæ leviora tantum vitia perſtringunt. 131
Comœdia bonos mores interdum exprimit. 156

Co-

Comœdia utrum poema ſit, necne. 232. 233. 234
Comœdiæ propoſitum. 186. 187
Comœdiæ ſcribendæ nova ratio propoſita. 137
Comœdia hodierna reprehenſa. 124. & ſequu.
Comœdia vetus Græcorum procax. 163
Comœdiæ Italorum & Gallorum reprehenſæ. 73
Comœdiæ laſciviores quomodo a poetis & ſpectatoribus defendantur. 134
Comœdiarum veterum vitia. 122. 123. 124
Compoſitio numeroſa, fons ſublimitatis. 198
Concordiæ civilis utilitates. 142
Condimenta orationis, muſica & ſaltatio. 129
Cratini poetæ edictum. 246
Cyrus Xenophontis. 181

D

DAVIDIS *muſica.* 90
Decretum divinum. 147
Delectatio duplex e poetarum ſcriptis. 36
Deorum laudes verſibus olim comprehenſæ. 8. 9
Deos quare Homerus finxerit hominum ſimiles. 146
Deſcriptionis & Imitationis differentia. 217. 218
Dictio poetica quæ. 230
Διδάσκαλοι *cur appellati Dramatum ſcriptores.* 69. & ſequu.
Didonis oratio perturbata apud Virgilium. 199. & ſequu.
Dionyſius Syracuſarum tyrannus. 107
Diſcrimen oratoris & poetæ. 207. & ſequu.
Dithyrambi agebantur. 70. 71. *nullos docebant mores.* 70
Dithyrambices munera. 188

Dithyrambicorum imitatio. 221
Divitiæ ſerviunt voluptati. 65. 66
Docere fabulam, quid ſit. 69. & ſequu.
Drama exprimere debet mores bonos. 71. 72. *ſed & malos nonnumquam.* 72

E

EBRIETAS *vini expers quæ.* 247
Elegantiæ morum hoc tempore unice ſtudetur. 132
Elocutio gravis & ſplendida, fons ſublimitatis. 198. 204
Elocutio poetarum utilis. 77
Ennianæ locutionis ſublimitas. 231
Ennius arte caruit, ingenio valuit. 18
Epicurus poetas contemſit. 67
Epopœjæ finis. 187
Ethici poetæ. 214
Euripides artis tragicæ præcepta neglexit. 18. *quomodo fabulam quamdam ſuam defenderit.* 75
Euripidis Tragœdiæ oratoribus utiles. 241
Exempla non ſemper occurrunt. 169
Exhortatio ad colendam poeticen. 271. & ſequu.

F

FABULA, *rerum ſublimium interpres.* 82
Fabulæ vis atque utilitas. 169. 170
Fabulam ſcite excogitare, ſolius philoſophi eſt. 172
Fabulas tractant poetæ principes. 207
Fabuloſi ſcriptores aliqui, non poetæ. 211
Fames poetas olim effecit. 259

Fer-

Ferdinandus Aragonius, Rex Neapolitanus, Alfonſi ſenioris filius. 27
Figurarum conformatio, fons ſublimitatis. 198. 204
Fœda & horrida quomodo poetarum ope delectare poſſint. 58. & ſequu.
Fontes quidam Apollini ſacri & Muſis. 258
Fracaſtorius (Hieronymus) laudatus. 213
Fumanus (Adamus). 211
Furor poeticus. 236. & ſequu. *ejus quinque cauſſæ.* 242. & ſequu.

G

GEOGRAPHI *poetæ.* 212
Γνῶμαι *affectibus minus conveniunt.* 76
Græci diſciplinas a barbaris acceperunt. 4. φιλοθεάμονες. 107. *pueros ante omnia in poeticis inſtituebant.* 69. *Romanis poeticæ facultatis laude præſtiterunt.* 21. *tyrannorum oſores.* 109
Græci poetæ plures vaniloqui. 231. 232

H

HARMODIUS *& Ariſtogiton.* 112
Harpocration explicatus. 70
Hecuba Euripidis Tragœdia laudata. 182. 183
Hiſtoriæ ac Poeſeos munus præcipuum. 73
Hiſtoriæ laudes. 175. 176. 177
Hiſtorici, a Leibnitio reprehenſi. 73
Hiſtorici poetæ. 213
Homerus, poeticarum deſcriptionum eximius artifex. 50. *quid ſecutus fuerit in ſcribendo.* 141. &

& ſequu. *voluptatis promus condus.* 53
Homeri inventionem ſapientes probant. 52
Homeri virtutes. 51. & ſequu.
Horatius in Carminibus imitatur. 191. 192
Horatii locus inſignis enucleatus. 229. & ſequu.
Sermones. 173

I

JAMBLICHI *ſententia de vi Tragœdiæ & Comœdiæ.* 93. 94
Ilias Homeri quid ſpectet. 141. & ſequu.
Imitari optimos poetas quam utile. 252
Imitatio, eſt παραττόντων. 217. 218
Imitatio cujuſmodi utilis, aut noxia. 117. 118
Imitatio cur & quos delectet. 220
Imitatio poetica. 214. & ſequu. *varia.* 208
Indocti pueris annumerandi. 67
Italicæ poeſeos treſviri. 257

L

LATINI *poetæ optimi qui.* 256
Laus hoc tempore res viliſſima. 167
Legum latores poetæ. 214
Leibnitius laudatus. 73
Livius Andronicus, poeta vetuſtiſſimus apud Romanos. 7
Livius Patavinus cum Virgilio comparatus. 38. & ſequu.
Lucanus laudatus. 214. *Neronis adulator.* 168
Lyrica imitatio. 188. 189

Lyrici & Melici omnes haud raro imitantur. 221.
eorum argumenta. 188

M

MACRI *Veronenſis poemata deperdita.* 212
Mæcenatis erga Horatium liberalitas. 26
Magnitudo animi, fons ſublimitatis. 196. 197
Maledicentia poetis vitanda. 164
Malorum felicitas corrumpit adoleſcentes. 74
Malorum vis. 144
Matrimonii dignitas & ſanctitas. 135
Medicinam fere omnes attingunt. 30
Medici poetæ. 213
Mendacia poetarum. 170
Mendacium a fictione differt. 171
Metrum poetis neceſſarium. 211
Metus quid. 103. *reprehenſus.* 104. & ſequu.
Metu quomodo utendum. 110. 111
Miſericordia Dei qualis. 103
Miſericordia purganda. 102. *ſpecies doloris.* 99
Miſericordiæ rectus uſus. 110
Miſericordiam proprie dictam Stoici reprehendunt. 100. & ſequu.
Molierius a Boſſuetio reprehenſus. 131
Μῶλυ *herba.* 152
Montes quidam Apollini ſacri & Muſis. 258
Mores malos interdum expreſſit Homerus, ſæpius tamen bonos. 154. 155
Moſes θεοδίδακτος. 9
Mulierum mores. 153
Muſica affectus movet, ac ſedat. 89

Muſi-

Muſicæ hodiernæ vitia. 248. 249. 250
Muſicam fere omnes attingunt. 30. 31

N

N*ARRATIO per nuntium.* 219
Nemorenſes Fabulæ reprehenſæ. 126
Nomi, poematis genus. 157
Nota, ſeu χαρακτὴρ *legitimorum poetarum.* 230
Novitas admirationem excitat. 61. 62
Numina ſingulorum peculiaria. 148

O

O*CTAVIA Auguſti ſoror, in Virgilium liberalis.* 25
Odyſſea Homeri quid ſpectet. 141. 150. & ſequu.
Oratio quæ ſcribitur, perpolienda eſt. 240
Oratio ſoluta an præceſſerit verſum. 11. 12
Orationis condimenta, muſica & ſaltatio. 129
Oratorem probari qui ſit poetæ quam ſimillimus. 14
Oratoris licentia minor, poetæ major. 194. 195
Orpheus, vir ſapiens. 8
Ovidius laſcivit in carmine. 267

P

P*ANORMITA (Antonius) poeta dives.* 26
Parabolæ CHRISTI *Domini.* 170
Παραλογισμοὶ *perturbationum.* 76
Paſtorales Fabulæ Italorum & Gallorum reprehenſæ. 73. 126

Pa-

Patres in liberis poeticen oderunt. 22. 23
Penelope, ingenii muliebris exemplum. 152. 153
Peroratio affectum commovere debet. 203
Perſonæ principes in Tragœdia cujuſmodi mores habere debeant. 160. 161
Perturbatio animi, fons ſublimitatis. 198. 202
Petrarcha (Franciſcus) 222
Pherecydes Syrus, orator vetuſtiſſimus. 7
Philoſophandi vetus ratio quæ. 81. 82
Philoſophia cur vulgo parum accepta. 80. *fortem animum requirit.* 77. *multum debet poetis.* 12. 13
Philoſophi cur poetas calumnientur. 64
Philoſophi quidam lucri cupidi. 65
Philoſophorum quorumdam impietas. 79
Philoxenus Dithyrambi naturam immutavit. 157
Phrygius modus inſaniæ cauſſa. 248
Phyſica ſemina in Odyſſea. 154
Pictores antiqui rudes. 264
Pictores ſummi qui. 224. 225
Pictorum differentia. 216
Pindarus Bacchylidem & Simonidem præ ſe contemſit. 15. *laudatus.* 252
Platonis Dialogi. 163. *Reſpublica.* 116. *ſcripta poeticis affinia.* 81
Plautinorum jocorum vitia. 122. 123
Poematum ornamenta diverſa. 238
Pœna in Dramate crimen ſequi debet. 74. 75
Poeſeos & Muſicæ cognatio. 90. 91
Poeſis cur Hiſtoriæ præſtet. 178. & ſequu. *voluptatem corrigit & commutat.* 66
Poeta, oratori finitimus. 240. *quum laudat, tum maxime fingit.* 167. 168

Poetæ munus operoſius quam Hiſtorici. 183. 184
Poetæ, magiſtri peregrinæ dictionis. 194. *multo antiquiores ceteris ſcriptoribus.* 6. *natura ipſa valent.* 14. 15
Poetæ extemporales deſcripti. 264. & ſequu.
Poetæ mali ſibi placent. 37
Poetæ nonnulli Homero & Heſiodo vetuſtiores. 5
Poetam frugi quid facere, quid vitare oporteat. 168. 169
Poetarum dictio pulchra. 37. 38
Poetarum pictorumque rudimenta. 226
Poetarum turba maxima. 28
Poetarum vis & præſtantia. 2
Poeticæ orationis libertas. 205. 206
Poetice ac Philoſophia conſentiunt. 81
Poetice ad Philoſophiam manu ducit. 78. *prima philoſophia a veteribus dicta.* 69. *miniſtra civilis diſciplinæ.* 68. *omnibus placet.* 29. 30
Poetici mores laudati. 23. 24
Poetis nequam & laſcivis caute utendum. 173
Polycrates Samiorum tyrannus. 24. 25
Pondere, non numero carmina æſtimanda. 269
Principes viros floſculi orationis non decent. 239
Prodicus Chius quomodo plebejam voluptatem deſcripſerit. 35
Prudentius explicatus. 98
Pſeudo-critici reprehenſi. 252. & ſequu.
Pſeudo-Muſæus. 5
Pſeudo-Orpheus. 5
Puerorum inſtitutio res magna. 67
Pulchrum quomodo ſectentur poetæ. 54. & ſequu.
Purgare, & purgatio *quid ſint.* 85. & ſequu.

Pur-

Digitized by Google

Purgatio poſt mortem. 88
Pythagoras, muſicæ peritus. 89

R

RESPUBLICA a CHRISTO *condita.* 120
Reſpublica Platonis. 116
Robortellii (Franciſci) ſententia de vi & facultate Tragœdiæ. 95. 96
Romani, divitiarum cupidi. 21. 22
Romanorum ſpectacula. 97
Rudimenta poematum. 263. *poetarum pictorumque.* 226

S

SACRÆ *Litteræ utuntur imaginibus corporeis.* 10
Sapientium mores. 161
Saturnii verſus. 263
Satyræ utilitas. 165. *ea non eſt ab adoleſcentibus ſcribenda.* ibid.
Scena major quæ. 112
Similitudo, fons voluptatis. 64
Similitudo quæ opponitur varietati, faſtidium creat. 228
Simonides, a Pindaro contemtus. 15
Socratici & Platonici Dialogi. 210
Sophocles laudatus. 252. *quare in ſcribendo magnificus.* 184
Spiritus poeticus quid. 227. & ſequu.
Statius Papinius, Domitiani adulator. 168. *poeta ingenio uberi.* 268
Sublimis oratio ex quinque fontibus. 196. & ſequu.

TE-

T

TERENTIANUS *Maurus.* 214
Terentio deeſt vis comica. 234
Theocritus laudatus. 254
Theologia Chriſtiana a poetico inſtrumento nonnulla mutuatur. 10
Theologi poetæ. 212
Timoclis comici ſententia de Tragœdia. 92
Timotheus Dithyrambi formam immutavit. 157
Tragici perfecte imitantur. 209
Tragœdia, Chriſtianis parum utilis. 121. *poema graviſſimum.* 113. *quam utilitatem olim præſtaret.* 111. & ſequu. *ſpeculum tyrannicæ vitæ.* 108
Tragœdiæ definitionis Ariſtoteleæ ultima pars explicata. 84. & ſequu.
Tragœdiæ & Comœdiæ differentia. 159
Tragœdiæ propoſitum. 186
Trita veritas admirabili novitati anteponenda. 52
Tyrannorum ſcelera. 108

V

VARIETAS *delectat.* 228
Vavaſſor (Franciſcus) laudatus. 123
Venatores poetæ. 212
Veritas trita. 52
Verſus an præceſſerit ſolutam orationem. 11. 12
Victorius (Petrus). ab ejus opinione diſceſſum. 157. 158. 222
Vilia & vulgaria quomodo admirabilia fiant poetarum ope. 58. & ſequu.

Vini

Vini potus furorem poeticum movet. 245
Virgilii mores ruſtici. 133. 134
Virgilii ſtilum bucolicum facetum *appellat Horatius.* 55
Virgilius, dives. 25. *in ſcribendo diligens.* 269. 270
Virgilius cum T. Livio comparatus. 40. & ſequu.
vera lectio apud ipſum conſtituta. 44
Virtus a malis ſimulatur. 31. 32
Vis comica. 234
Ulixis peregrinatio & labores. 151. 152
Voluptas corporis pernicioſa. 130
Voluptas, multiplex & diverſa. 34. 35
Voluptatem honeſtam parant poetæ. 36
Voſſius (Gerardus Joannes) notatus. 69
Uſitatæ res minus movent. 60. 61
Vulpius (Cajetanus). 212

X

XENOPHONTIS *Cyrus.* 181

FINIS

Digitized by Google

Pag. 16. lin. 3. pro ἀφυὴ lege ἀφυῆ
Pag. 217. lin. 11. pro πρὸς τὲ lege πρός τι



PATAVII. CIƆIƆCCXLIII.

EXCUDEBAT JOSEPHUS COMINUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google